


SYSTE

GRATI



N°

43982




EX LIBRIS

GABRIELIS PIJON

S. Th. Prof.

43.982



Res 43922

SYSTEMA GRATIÆ PHILOSOPHICO- THEOLOGICUM,

IN QUO O M N I S V E R A

*Gratia, tum actualis, tum habitualis
explanatur quoad sui physicamentira-
zem absque recursu ad illas formulas
accidentales Aristotelicas productas.*

*Accessit appendix, in qua pariter sine vano
refugio ad ulla talium formularum genimi-
na speciatim exponitur quid rei physicæ sint
Virtutes infusæ, Gratia gratis datæ, Dona,
Beatitudines, Fructus Spiritus Sancti, ac
tandem Characteres Sacramentales.*

*Authore R. P. JO ANNE SAGUENS
Ordinis Minimorum & Urbis Tolosanæ
Alumno: hic & Romæ olim Veterano
Philosophix ac Theologiæ Professore.*

E D I T I O S E C U N D A,



*TOLOSÆ,
Cum approbationibus Superiorum.*

M. DCC V.



PRÆFATIO.

EMO nescit hanc esse solitam calamitatem itinerantium, ut si proficiscentes, à tramite vero deflexerint, tanto longius aberrent, quanto ulterius pergunt. Verum & hanc calamitatem infortuniis multis cumulant, dum animadverso errore malunt, ne ad caput ejus, quæ ineunda fuerat, viæ redeant, per excursiones incerti compendii tracticias illam requirere: involvunt enim se sylvis, & in pericula nocturna saltuum, fluminum, latronum, plurimaque alia collabuntur. Sæpè etiam per irreduces semitas diu evagati, aut fessi viribus, aut nivibus obruti, aut præcipitiis

PRÆFATIO.

collisi , aut enecati fame , aut fera-
rum rabie discerpti languent ac pe-
reunt. Quanto securius ad prima sus-
ceptæ profectionis limina rediissent.

At cum nemo neque sciat , neque
dolet vicem hanc infelicem viato-
rum , qui suum ab errore iter auspi-
cantur , pauci sunt qui vel advertant
vel ægré ferant sortem longè infelicio-
rem studentium , qui per cœptas vias
mendacii ad veritatem contendunt ,
& ne in ista perquirenda aberrent ,
sinunt se præveniri multis erroribus.
Sic mulci per devios falsæ aut incertæ
Philosophiæ trahentes concordare pa-
runt ad sublimem Theologiae metam ,
nunquam nihilominus perventuri ,
nisi repressis vestigiis novam ineant
methodum vere ac certò philosophan-
di : obest enim eruditioni Theologica ,
omnis que veritati ac certitudini non
consonat , præoccupatio .

Certè in artibus id familiare est
pro earum praxi ad summam præstan-
tiam promovenda utilius esse , si rudi-
menta earum ignoraveris , quam si
pravè didiceris : obstat ne in eis bene
proficias , male capisse : utque ad pul-

PRÆFATIO.

chre scribendum aptior est manus ,
quæ nihil scripserit , quām quæ se af-
suefecerit crassis atque incompositis
characteribus , s̄c in scientiis , quæ
inter se connexæ sunt , comparandis ,
vitiosa prioris acquisitione non favet ,
quin opponitur adeptioni posterioris .
Hinc præstat ut evadas verè Theolo-
gus , nec nomen quidem audiisse Phi-
losophia , quām si in fallaci ac spuria
Philosophia etiam per annos plurimos
exculta laborem assiduum collocasti .

Transfert quisque in Sacrarium
Theologicum studia Philosophica ,
quibus se innutrierit ; si Aristotelica ,
Aristotelicè fidem elucidabit : si Plan-
tonica , exponet eam platonicè ; & in
eâ tractandâ proponet ac propugnabit
hujus aut illius sectæ præventiones .
Agiturne de Divinis gratiis , quod
unum erit instituti mei exemplum ,
quid illicò cogitabit homo Peripate-
ticus ? formas accidentales productas
& inherentes , ac totuplicis speciei ,
quot sunt varietates specificæ superno-
rum effectuum . Entitates fingeret , quæ
mentem ac voluntatem præveniant ,
excitent , accendant , sollicitent ; quæ

PRÆFATIO.

utrique cooperentur, & utramque dirigant, dient, ornent, communiant, investiant, justificant, deificant, &c. Haec sunt machine, ac solæ, quas præparabit Deum moliri & præparare ad salutem electorum suorum.

At vir Platonicus ridiculus hujuscemodi formas, & reputabili parandæ ac operandæ saluti nostræ non esse idoneas, nisi iniimas actiones Divinas illuminatrices, quæ per se ipsas immediate attingant animam, & in ea efficiant seu imprimant passiones hinc transitorias, hinc manentes, ex quibus pendet omnis possessio, omnis exercitatio vita sanctæ: neque de cætero passionibus istis impressis, aut illis actionibus impressivis tribuet esse entitates productas. Hinc litem quæ toto hoc opere agitabitur, quis non statim advertit merè philosophicam esse, veluti pendentem ex hoc uno, ut resciatur an vera philosophia patitur formas accidentales, ex quibus in ordine materiali admissis aut repudiatis assurgendum sit ad eas in ordinem spiritualem ac supernaturalem, de quo nunc agitur, inducendas, vel è contra eliminandas.

PRÆFATI O

Quod si ita est, puto rem confectam propter argumenta plurima, nisi fal- lor, invicta, quibus in alio quodam meo opusculo accidentia materialia profligavi omnia generatim, expli- cans absque illis species Eucharisti- cas. Nihilominus quia forsan in du- bium verii posset, quin prostratio accidentium materialium, neceſariò secum trahat Spiritualium ruinam, ad hæc rursus generatim profliganda ostendam quam valde superflua sint, imo incongrua ad ingerendam veram noitiam gratiæ tum habitualis, tum actualis. Sic enim apud me recognavi, casu quo Divina beneficia Gratiæ absque recursu ullo ad propagines accidentium spiritualium exponi phy- sice possint, alium nullum occurrere, in quo necessitatis aut etiam utilitatis alicujus eſe videantur. Atque ita ru- ent fundiūs Aristotelica omnis ge- neris accidentia, quorum lues tam longè latèque hactenus humani de rebus fidei & naturæ ratiociniū vim, ac pulchritudinem omnem corrupit.

Itaque duas hic instituam quæf- tiones, in quarum prima requiram

P R A E F A T I O.

quid rei physica sit gratia actualis :
iūm in altera quid rei physica sit gra-
tia habitualis. At quia gratiam ha-
bitualē comitantur semper aut ut
plurimū virtutes infusæ , gratiæ
gratis datae , dona , beatitudines &
fructus Spiritus Sancti , quibus perin-
de tribuitur esse formas accidentales
ordinis spiritualis , adjungam bre-
vem appendicem , in qua pro cumulo
doctrinae stabilienda ostendam quid rei
physica sint predictæ virtutes , predictæ
gratiæ gratis datae , &c. nec omittam
agere de characteribus sacramentali-
bus , ad quos forte tandem configueretur
pro salvando aliquo germine acciden-
tium spiritualium , videlicet accep-
torum in eo sensu Aristotelico , con-
tra quem dimicabitur.

De cætero advertes lector nullam
me ex instituto meo mouere contro-
versiam theologicam que spectet ad
necessitatem , ad efficaciam , ad pre-
venientiam , ad concomitantiam , ad in-
herentiam , ad amissionem , ad augmen-
tum , &c. Divina gratiæ ; quia non ago
hic Theologum , sed Philosophum de re-
bus istis theologicis differentem , &

PRÆFATI O.

investigantem tantummodo ex hypothesi certa quod sint, quid rei physice illæ sint: ut ex hypothesi certa *Divina gratia dividenda in actualē & habitualem*, quid rei physice sit has divisio: & sic de aliis. Quare nec inscripsi hoc systema nisi Philosophico-Theologicum, quasi dixerim in re Theologica philosophicum: nec est proinde quod stupeatur, quasi velim hac inscriptione nouum aliquod gratiae systema proponere: absit. Gratiam omnem qua fidei est, aut conformior fidei juxta eruditiores ac severiores Theologos, hanc amplector, hanc revereor, hanc implo-ro; tantum aliter explico, quam plerique ipsorum soleant, ob Aristotelem, in quo confidunt. Quâ in re nisi fides & Aristoteles idem sint, adversus Aristotelem tantum peccabo: at securus, quia priores adversus illum sic peccaverunt, D. Augustinus, D. Basilius, & alii sancti Patres, qui teste D. Thoma in Philosophicis secuti sunt opiniones Platonis. Cavabo tamen ne dum Aristotelem offendere videor, inoffensi non sint exi-

PRÆFATIO.

mii Doctores ac scriptores Catholici Aristotelici, quorum potius eruditioni hoc opus qualecunque meum subjicio ; sed in primis S. R. E. judicio , cui contradicere , insanire est.





QUÆSTIO I.

DE GRATIA DIVINA

actuali quoad sui Physicam entitatem.



UÆSTIONEM hanc
partior in articulos sex.
Quæritur in primo quid
rei Physicæ sit gratia ac-
tualis ex parte Dei con-
seruentis spectata, & in se-
cundo an hæc gratia sic spectata sit acci-
dens in Deo. Tum in tertio quid rei phy-
sicæ sit gratia actualis ex parte animæ re-
cipientis considerata, & in quarto an hæc
gratia sic considerata sit accidentis in ani-
ma? Deinde in quinto an verius explicitur
quidquid spectat ad gratiam actualem re-
ceptam ponendo quod sit accidentis, & tan-
dem in sexto an è contra verius explicitur
quidquid ad illam sic receptam spectat po-
nendo quod non sit accidentis, videlicet in
sensu vulgari Theologico Aristotelico ac-
ceptum, sicut sèpè suis locis notabitur?

A



ARTICULUS I.

*QVID REI PHYSICÆ SIT
gratia actualis ex parte Dei
conferentis spectata?*

I. **P**RÆMITTO gratias omnes Di-
vinas actuales , nimurum intrinsecas
& supernaturales , de quibus hic
agitur , et si in infinitum ferè multiplices ,
posse nihilominus ad duo quædam potissi-
ma genera revocari ; videlicet ad illas quæ
animam præparant vocando , excitando ,
inclinando , hortando , promittendo , com-
minando , aut utcumq; aliter sollicitando :
& ad alias quæ animam eandem juvant
elevando , confortando , fovendo , regen-
do , manuducendo , aut utcunque aliter
subministrando quidquid subsidii præsidii-
que opus est pro toto complemento ac-
tuum supernaturalium eliciendorum . Hinc
D. Aug. quo nemo aut eruditius novit ,
aut clarius explicuit , aut felicius pro-
pugnavit universa gratia Divinæ actualis
fortis simul ac suavis beneficia , quid illi
in Enchi. imputat nisi quod animam & præparet ad-
c. 23. juvandam , & adjuvet præparatam ? Et sanè

quid aliud præter gratiæ Divinæ actualis præcursorum, ut sic loquar, & exinde concursum potest ad actuū nostrorum supernaturalitatem obtinendam desiderari? Quare si semel constitutum fuerit quid rei physicæ sit gratia hæc utraque præparans & juvans, quam perinde est si aliter vocaveris operantem & cooperantem, generatim ac satis notum erit quidquid spectat ad plurimas species sub hoc utroque genere comprehensas, quo ad ipsarum physicam entitatem.

Præmitto rursus omnem actum super- 2.
naturalem sive fidei, sive spei, sive charitatis, sive patientiæ, &c præxigere cogitationem rei credendæ, sperandæ, diligendæ, patiendæ, &c. Ita quod nulla usquam bona opera fiant, nisi ea præcessint bonæ cogitationes, sicuti nec ea præcedere possunt bonæ istæ cogitationes, nisi desuper fuerint præmissæ. Audi S.

Aug. qui ad rem meam sic ait. *Bona ope-* Lib.
ra, si non præcessissent cogitationes bonæ, de
gratia nullæ essent: attendite itaque quod de ipsissimis, &
cogitationibus loquens dicat Apostolus, Non lib.
quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, arbitrio.
tanquam à nobis metipsis; sed sufficientia no- 2. ad
stra ex Deo est. Necesse igitur est, ut Deus Cor.
præimittat nobis bonas cogitationes, 3.
quæ sint operatrices ac perfectrices bono-
rum operum, quod idem est ac si dicam
necessæ esse ut per eas operetur in nobis
& velle, & perficere. Nunc autem si requiri-
mus quid sit hujusmodi præmissio be-

4 *Questio I. Art. I.*

narum cogitationum , facile deprehendemus eam consistere in representatione quadam intima Divinitus insinuata rerum cogitandarum : nec aliter representacionem hanc fieri , nisi per conformes talium rerum species supernaturaliter impressas ; quibus vigentibus impossibile est ut non cogitemus quidquid Deus per eas à nobis cogitari voluerit , uti fieri non potest , quin sensus corporeus , alias bene dispositus & non distractus , ea sentiat , quorum sensibiles præexceperit species . Ac tandem ista cujusvis speciei supernaturaliter impressæ premissio quid est , nisi supernaturalis quedam illuminatio ?

3. Præmitto denique omnem bonam cogitationem Divinitus immissam dirigere simul intellectum ad actus cogitandæ salutis , & inclinare voluntatem ad actus ejusdem salutis desiderandæ : nimirum quia illa eadem cogitatio , quæ offert intellectui veritatē rei credendæ , sperandæ , diligendæ , &c. offert simul & voluntati bonitatem ejusdem rei credendæ , sperandæ , diligendæ , &c. At sicuti dirigitur intellectus per veritatem , ita inclinatur voluntas per bonitatem propositam . Sed quia tamen sui juris est ob arbitrii liberi conditionem quā fruitur , ideo potest non amare bonitatem propositam , licet intellectus non possit non advertere propositam veritatem . Ubi observa quām provide erga nos se gerat Deus , qui cogitationibus terrestribus , quas indefinenter hu-

Quid rei phys. sit gratia. &c. 5

manæ concupiscentiæ fomes suggerit, & earum vanissimis illecebris, opponit cogitationes cœlestes, & earum verissimas oblectationes, nempe ut istæ illas vincant, sicut ex natura rei vices sunt propter ingenitam præponderantiam: quamvis tamen hæc subjaceat despicienciam nostræ, ut libertas maneat inoffensa. Et ecce D. Aug. qui postquam annotavit alia esse quæ tantum scienda sunt, & alia quæ insuper facienda sunt, explicat veritatem ac suavitatem, bonæ cogitationis his paucis verbis. *Quando Deus ea docet, Con-*
inquit, sic docet, ut ea scienda sciamus aye-17. in
rienda veritatē, sic docet ut facienda faciamus psal.
inspirando suavitatē. Et alibi. *Nolunt homines*^{118.} *Lib.*
facere quod justum est, sive quia latet an justū^{2.} *de*
sit, sive quia non delectat. . . . ut autem in-pecc.
notescat quod latebat, & suave fiat quod non mer.
delectabat, gratia Dei est, Dei videlicet tis c.
immittentis bonam cogitationem, quæ^{17.}
hominum adjuvat voluntates.

His præmissis facile erit ut capiatur omnia, quæ certè innumera sunt, gratiæ Divinæ actualis beneficia, si præcisè ex parte Dei spectentur, nihil esse nisi motionem, quæ Deus bonas cogitationes immittit, ut illuminet seu intellectuet animam: hac voce utitur D. Aug. in conacione præcitata. Et revera habet hæc intellectuatio, una quidem realiter, sed virtualiter multiplex, vim omnem vocandi, excitandi, trahendi, præcipiendi, consulendi, promittendi, comminandi,

6 *Quæstio I. Art. I.*

&c. Rursus vim omnem elevandi , roborendi , fovendi , manuducendi , &c. Ac uno verbo præparandi & juvandi animam ad actus omnes salutis tum speculativos , tum praticos. Itaque vides propositi mei jam esse ut probem gratiam omnem actualēm Divinam sive præparatricem sive adjutricem , aut quod idem est , sive operatricem , sive perfectricem operum supernaturalium nostrorum præcisē ex parte Dei spectatam nihil aliud esse quoad sui physicam entitatem , nisi motionem actualēm divinam , per quam anima supernaturaliter sic vel sic illuminatur , sive intellectuatur : & hæc sunt id ita afferendi motiva , quæ subjicio.

5. *Primo.* Gratia Divina actualis præcisē ex parte Dei spectata consistit physicē in eo , ex quo habet suam omnem physicam efficientiam : natura enim physica cuiusque rei est ipsum suum physicum efficiendi principium. At suam omnem physicam efficientiam habet ex motione actuali , tali videlicet quæ sit supernaturaliter illuminativa anima. Et hoc quidem evidens est : tum quia nisi Deus moveat supernaturaliter animam , manebit hæc intra ordinem supernaturalem , imo potius extra illum immota : & sic nihil supernaturaliter credet , aut sperabit , aut diligit , aut patietur , &c. Nam hujusmodi actus sunt motus intellectuales ordinis supernaturalis ex una cognitione in aliam , & ex uno affectu in alium. Tum rursus quia si Deus

Quid rei phys. si grat. ait. &c. 7

animam non moveret supernaturaliter , haberet se ad illam merè passivè , & sic in ea nihil ordinis supernaturalis efficeret: implicat enim in terminis statum passivum esse activum. Ergo gratia Divina actualis præcisè ex parte Dei spectata consistit physicè in motione quadam Divina actuali : ac tali videlicet quæ sit supernaturaliter illuminativa animæ : quandoquidem anima non movetur prout apta est & opus habet moveri , si non illuminatur per præacceptas cognitiones , sive cogitationes bonas , de quibus dictum est.

Quæ fuit apertissima mens D. Greg. Nysseni cum dixit. *Illustrare animas luce cognitionis , hanc gratiam Patri & Filio , & Spiritui Sancto pietatis sermo refert acceptam.* Nec non D. Aug. dum ait, *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur , De quid aliud deprecamur nisi cognitionem & peccatorem ? Id est illuminationem Divinam , per quam fiat ut cognoscamus & amemus quæcunque cognoscit & amari ad salutem . necesse est , juxta illud Prophetæ Regii Dominus illuminatio mea & salus mea.* ps. 26

Secundò. Ominus gratia Divina actualis spectata præcisè ex parte Dei habet omnino rationem medii divinitùs electi, maximèq; idonei pro anima elevanda ad statum supernaturaliter operativum. At è contra nullatenus haberet rationem talis medii, nisi esset motio, ac simul illuminatio supernaturalis impressa animæ ad p̄dictū statum elevandæ ; quatenus hæc elevatio est 6.

8 *Quæstio I. Art. I.*

quædam ex statu naturali in supernaturalem translatio, quæ proinde est effectus non cuiusvis motionis, sed supernaturalis: & aliunde hæc translatio est translatio animæ, quæ non potest nisi intellectualiter, aut quod idem est, illuminabiliter transferri. Igitur omnis gratia Divina actualis præcisè ex parte Dei spectata est motio, imo nihil aliud est, quām motio illuminans supernaturaliter animam, quod autem dico illuminans, intellige pariter vocans, excitans, trahens, inclinans, &c. quia animam supernaturaliter vocari, excitari, trahi, inclinari, promissis allici, ministreri, &c. aliud nihil est quām supernaturaliter sic vel sic illuminari à Deo, qui de tenebris nos vocat in admirabile lumen suum, ut ait D. Petrus. Nec tri. absimile est quod scripsit D. Paulus. Erat enim aliquando tenebrae nunc autem lux in pheſ. Domino: ut filii lucis ambulate, id est, ut filii illuminati.

7. *Tertiò. Ad gratiam actualē Divinā ex parte Dei conferentis spectatam attinet efficere, ut per eam sciamus velimus, & operemur quæ salutis nostræ sunt. Atqui hæc efficere non potest nisi quatenus fuerit motio supernaturalis illuminativa animæ: Et ratio est quia scire, velle, & operari, quæ salutis nostræ sunt, utique sunt motiones intellectuales supernaturales quæ proinde præ exigunt motionem intellectuativam seu illuminativam supernaturalem, per quam causentur. Neque deest paritas.*

que id rursus probet , ducta ex actibus nostris tum speculativis tum practicis intelligendi & volendi intra ordinem naturalem. Nam voluntas quidem cum in incognitum ferri non possit , nihil vult nisi præilluminetur ab intellectu : sed nec intellectus quicquam intelligit nisi præilluminetur per species receptas ab objectis intelligibilibus : atque ita omnis nostra naturalis intelligendi ac volendi operatione pendet à concursu quodam prævio naturali intellectuante seu illuminante ; unde à pari sequitur omnem nostram supernaturalem intelligendi & volendi operationem pendere similiter à concursu prævio quodam supernaturali illuminativo : & hic est concursus gratiæ supernaturalis actualis , sive quod idem est , concursus Dei supernaturaliter actualiter animam gratificantis. Ergo , &c. Uno verbo rem totam illicò concipis , si attendis operationem omnem intellectualem ordinis supernaturalis fieri in anima per species supernaturales ipsi impressas ; quemadmodum quidquid intelligit naturaliter , id utique intelligit per impressionem specierum intelligibilium ordinis naturalis : atque ita sicut traditio specierum intelligibilium naturalium est illuminatio naturalis , sic traditio specierum intelligibilium supernaturalium est illuminatio supernaturalis , quæ sola efficit ut sciamus , velimus & operemur supernaturaliter quidquid in hunc modum scimus , & volumus , & ope-

ramur. Vide D. Tho. i. p. q. 105. art. 3. ubi non aliter explicat, quām per hujusmodi impressionem specierum intelligibilium virtutem intelligendi vel naturalem vel superadditam, id est, supernaturalem.

8. Quæ hactenus dicta licet satis evidētia sint, non è re erit si evidentiora fiant exponendo breviter totum negotium prædicti supernaturalis regiminis, quo Deus nos vocat, excitat, inclinat, roborat, manuducit, &c. ad actus nostræ salutis, per collationem cum negotio regiminis alterius et si multūm inferioris, quo Rex sapiens subditos suos vocat pariter, excitat, inclinat, roborat, manuducit, &c. ad actus obedientiæ sibi ab iis præstandæ. Comperiemus enim quidquid is per suos Proreges, Oratores, Judices, belli Duces, pacis Arbitros, &c. molitur: quidquid in præmiandis obsequiis, in flagitiis puniendis, in moderandis vextigalibus, in componendis dissidiis, in promovendis commerciis, &c. assidui studii ac laboris impendit, id totum eò collineare, ut populos suos deducat in cognitionem & amorem sui: quatenus non possunt viâ sapientiori quām istâ in obedientia contineri. At cognitionem & amorem sui consequi ab illis cum non possit nisi mentes & voluntates inovendo, nec istas immediatè movere possit ad instar Dei, qui intimè illas occupat: providet illas movere interposisis gestis & edictis suis, qui-

Quid rei phys. sit gra. act. &c.

bus quidquid optat, insinuat & offert sic sensibus corporeis exinde animam commoturis. Deus autem intimè mentes, voluntatesque nostras occupat, ut dixi, & ideo nullis aliis interponendis mediis indiget ad eas movendas seu illuminandas: Quamquam ut corporali nostræ conditioni se accommodet, non omittit providere sufficientem externam suæ legis promulgationem, quæ auribus corporeis excepta animam disponat ad internum ejusdem Divinæ legis auditum, sic namque anima per gratiam illam externam ad internam istam disponitur promptius feliciter recipiendam. At quid est tota hæc Divinæ legis intima ac splendens insinuatio, nisi Divina quædam motio, quæ animam supernaturaliter illuminat, & illuminando vocat, excitat, trahit, inclinat, &c. tandem præparat & juvat ipsam ad actus supernaturales salutis adipiscendæ? Hinc abundè patet qualiter gratia actualis, de qua agitur, & hæc supernaturalis illuminatio sint res una & eadem; sed nihilominus operæ pretium erit solvere nonnulla, quæ adversus hanc assertionem fortè opponerentur.

Fortè enim opponeretur non posse conciliari cum doctrina præmissa doctrinam communem Theologicam de innumeris gratiæ actualis Divinæ differentiis, iisdemque necessariis ad explicandas inumeras species actuorum supernaturalium, quorum singuli ferè pro varietatibus mul-

tis suarum circumstantiarum , singulares gratias prærequirunt : sic enim non tantum opus est aliâ gratiâ ad actum fidei , & aliâ ad actum spei , & aliâ ad actum amoris , & aliâ ad actum humilitatis , & aliâ ad actum fortitudinis , &c. sed insuper ad actum fidei , aliâ gratiâ eget fidelis , aliâ infidelis , aliâ senex , aliâ juvenis , aliâ prodigus , aliâ intemperans , &c. Quin etiam fidelis ad eundem actum fidei aliâ gratiâ egebat heri , & aliâ eget hodie ; heri occupabant eum cogitationes vindictæ , hodie illum alliciunt oblectationes libidinis , hodie sœvit , heri non sœviebat fidei persecutor , &c. ita quod pro varietate inexcogitabili temporum ac temperamentorum , gratiæ Divinæ actuales essent aut otiosæ aut superfluæ , nisi & ipsæ inexcogitabiliter variarentur. At hæc tanta gratiarum Divinarum varietas nihil habet conformitatis cum notione ejus motionis supernaturalis Divinæ . in qua asseruimus , consistere omnem gratiam Divinam actualem , motio enim quæcumque Divina non potest esse nisi una ac simplicissima , ideoque multum aliena à varietate , quæ sit capax omnis ejus multiplicitatis tum genericæ , tum specificæ , qualem admittunt Theologi , inter auxilia Divinæ gratiæ vocantis , excitantis , trahentis , inclinantis , sufficientis , efficacis , congruæ , prævenientis , concomitantis , subsequentis , operantis , cooperantis , &c. Ergo , &c.

Verumta-

Verumtamen oppositionis hujus ambages nullæ sunt, nisi quas opponens sibi gratis fngit. Nam primò quidem certum est omnes gratias actuales, quotquot sunt excogitabiles, nihil aliud esse juxta veriorēm doctrinam Theologicam, quām prævenientes ac continuatas supernaturales inspirationes, quibus anima ad actus suæ salutis promendos agitur: hujusmodi autem inspirationes quid sunt nisi actiones inspirandi, sive motiones Divinæ inspirantes quæcumque cogitanda, credenda, specanda, &c. tandem committenda aut omittenda sunt ad salutem. Audiatur Concilium Tridentinum, cu^s sess. 6
jus ad rem nostram definitio hæc est. Si Can.
quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, quod ex inspiratio ejusdem continuata, hominem credere, sperare, diligere aut pénitere posse sicut oportet, ut ei justificatio-
nis gratia conferatur, anathema sit. Ubi ad-
vertis quidquid gratiæ actualis homini opus est, ut gratiam justificationis vide-
licet habitualem recipiat, id totum uno vocabulo Divinæ inspirationis exponi. Au-
diatur etiam Concilium Arausicanum ubi ad rem eamdem sic definitur. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum-
que credulitatis affectum non per gratiæ do-
num, id est Spiritus Sancti inspiratio-
nem, sed naturaliter nobis inesse dicit,
Apostolicis dogmatibus adversarius appro-
batur. Unde sic licet argumentari. Vel

prædicta Concilia per gratiam actualem , quæ prævenit justificationem habitualem & actus ad eam obtinendam prærequisitos , tantum intelligunt inspirationem actualem , vel aliquid aliud. Si secundum præallatæ definitiones essent suboscuræ & mutilæ. Si primum : hoc ipsum est quod affero gratiam actualem , de qua agitur , nihil esse nisi motionem actualem Divinam supernaturalem inspirantem seu illuminantem. Hoc nihilominus non impedit , quominus gratiæ Divinæ actualis efficacia explicari possit ut in sacris paginis & apud sanctos Pares passim solet per motionem vocis sonantis , aut manus trahentis , aut ponderis inclinantis , &c. sed contendo istas locutiones magis accedere ad metaphoram , à quâ magis discedit locutio hæc mea dum dico motionem Divinæ gratiæ actualis esse motionem inspirantem seu illuminantem , quia natura animæ , intellectualis cum sit , magis propriè intellectuatur , id est inspiratur seu illuminatur ; sicque gratia actualis est minus propriè vox sonans , aut manus trahens , aut pondus inclinans ,

Jo. &c. quām lux illa de qua legimus dum lumen habetis, credite in lucem, ut filii lucis sis.

II. Ac tum secundò si attenditur quām multiplex sit virtualiter salva sui simplici physica unitate vis motrix corporea humana , quæ lapidem v. g. movet mille ac mille modis , trahit , defert , rotat , vertit , projicit , &c. & iterum quām

multiplicior sit salvâ sui simpliciori physica unitate vis motrix intellectualis humana, quæ se ipsam diversissimis studiis applicat, & auditores diversissimis affectibus movet, non erit arduum ut concipiatur quām multiplicissima virtualiter esse possit salvâ sui simplicissimâ physica unitate vix motrix, quā gratificat Deus homines cum ea omni varietate, quām ex parte ipsorum postulat necessitas tum temporis, tum indolis, tum cujuslibet omnis alterius assignabilis circumstantiæ. Quare nihil obstabit physicæ simplicitati ac invariabilitati motionis Divinæ illuminatricis, de qua dictum est, ejusdem divisio intelligibilis in tot genera & tot species, quot recenserit solent gratiæ actualis divisæ in vocantem, excitantem, trahentem, inclinantem, sufficientem, efficacem, congruam, prævenientem, concomitantem, subsequentem, operantem, cooperantem, &c. Idque vel maximè, quia fructus omnes honorum operum non tribuit Apostolus nisi uni vi motrici lucis Divinæ, id est uni motioni Divinæ supernaturali illuminatrici. *Eratis enim, inquit, aliquando tenebræ: nunc autem lux Ad in Domino, ut filii lucis ambulate (fructus Eph. enim lucis est in omni bonitate, & justitia, & veritate.)*

Fortè etiam quis opponeret non exponi sufficienter notionem gratiæ actualis Divinæ, per id, quod est animam illuminari à Deo in rebus attinentibus ad salu-

tem : quatenus ex ordinatione Divina posset in iisdem anima illuminari ab Angelo : in quo casu Angelus conferret gratiam animæ conferendo illi eandem & ejusdem rei cuiuslibet ad salutem attinentis cognitionem. Quis autem nescit non posse potius gratiam ab Angelo animæ conferri, quam gloriam , quæ est summitas quædam gratiæ ? Imo quia homines per disseminationes evangelicas , per collocutiones mutuas , per exempla bonorum operum illuminant alii alios in rebus fidei & salutis , hinc sequeretur eos sibi pariter invicem conferre gratiam supernaturalem de qua agitur : imo & eandem conferri hominibus posse ab ipsis rebus mundanis corporeis , quarum decor pulcherrimus eos saepe illuminat & movet ad cogitandum , & amandum & inserviendum Deum in rebus , quæ suæ salutis sunt. Igitur gratia actualis Divina est aliquid physicum præter motionem illuminativam , de qua dictum est

13. At hæc oppositio nihil habet difficultatis nisi in speciem : quatenus nulla illuminatio , quæ proficiunt ab Angelo aut ab homine , aut ab ulla alia creatura possit , est ordinis supernaturalis : atque ita ex hoc uno capite nulla illuminatio hujusmodi attingit gradum gratiæ , de qua agitur. Ut autem breviter noveris quæ sit illuminatio ordinis supernaturalis , talem eam esse cogita quæ vincat splendorem illuminationum omnium naturalium , id-

que multò abundantius, quām lux una solis cæterorum omnium sydecum lucem conjunctam excedat. Sic autem se habet illuminatio Divina comparata cum universis illuminationibus creatis, quibus proinde tantum competere potest esse gratias externas naturales præparatorias ad supernaturalem internam conferibilem à solo Deo, quia solus intimè penetrat & actuat totam intellectualitatem animæ gratificandæ. Audi super hanc rem D. Augustinum. *Deus itaque per seipsum, quia lux est, illuminat pias mentes, ut ea quæ in Divina dicuntur vel ostenduntur, intelligantur.* sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest^{118.} quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, ut capiat lucem Dei, & pér hanc intelligat; sed ita dicitur intellectum dare homini & quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit, cum eam sua luce penetraret & illustret; sed tantummodo aditum, quo penetretur atque illustretur, aperiat, &c.


Ac tandem nolo ut solutione idoneâ^{14.} careat id, quod video præterea posse opponi, videlicet neque propriè convenire motioni quod illuminet, neque propriè convenire voluntati quod illuminetur, sed quod inclinetur: Quia verò aliundè spectat propriè ad gratiam actualem Divinam & illuminare intellectum & inclinare voluntatem, consequens est non explicari satis aptè notionem illius per id,

quod dictum est illam consistere in motione quadam Divina illuminante. Præser-tim quia quæcunque sit illa illuminatio datur quidem ut velimus & perficiamus; sed non illa est quæ operatur in nobis velle & perficere: alioquin quisquis illuminaretur ad volendum & perficiendum, vellat & perficeret, quod apertissime falsum est? numquid enim Spiritui Sancto, id est illuminationibus per Spiritum Sanctum in nos transfusis sæpè resistitur? Atque hinc rursus consequens est graciam actualem esse aliquid physicum præter id, quod tribuimus motioni Divinæ illuminanti? tum quia vis motrix Divina infinita est, cui proinde nunquam resistetur: tum quia copia Divini luminis est pariter infinita, cui ferendæ impar omnino esset intellectus; & sic per eam motionem illuminantem nec intellectus illuminaretur, nec voluntas liberè inclinaretur uti par est ad eliciendos actus salutis æternæ meritorios.

Nolo, inquam, ut solutione suâ carreat hæc difficultas, quæ præterea opponi posset. Solutio autem hæc est, & ex hoc uno pendet quod possit & pâssim soleat attendi Deus sub conceptu lucis, quoties agitur de exponenda gratia præsertim operante, cuius est in primis illuminare mentes nostras. At istis communicari lux Divina non potest absque motione; quæ ipsas transire faciat ab uno statu in aliun, videlicet à statu nescien-

di in statum sciendi: Omnis autem motio
quæ à luce est, est motio illuminativa.
Ut autem huic luci Divinæ non deest suus
motus, ita neque deest suum pondus,
quo perinde possit voluntas inclinari ac
mens illuminari; suppeditat enim ea Di-
vina lux rationes efficacissimas, & poten-
tissimè moventes ad opera salutis. Neque
novum est efficaciam alicujus rationis
concipere sub idea cuiusdam ponde-
ris, nempe intellectualis: uti cum di-
citur *haec aut illa ratio est magni ponderis*.
Habes itaque in ea motione, per quam
explicui gratiam actualem, vim illuminan-
di simul mentem & inclinandi volunta-
tem: atque hæc est vis superna, quæ
operatur in nobis, & velle, & perficere.
Quod autem subjicitur hanc vim, siqui-
dem Divinam, infinitam esse, ideoque
compatibilem neque esse cum debilitate
intellectus, qui ferre splendorem illius
non posset, neque cum indifferentia vo-
luntatis, quæ sustinere nos posset impul-
sionem illius, hoc certè nullius est ponde-
ris, id est nullius momenti: novit enim
Deus qualiter subvenire habeat infirmita-
tibus nostris, & haud dubiè potest gratiæ
sùæ tam adjutricis, quam præparatri-
cis motionem omnem moderati ac con-
temperare, prout opus est, capacitati nos-
træ, ad modum quo & nos vita motricem
corpoream, quâ sumus pæditi, modera-
mur & ad nutrum contemperamus capaci-
tati corporum movendorum. Itaque jam

omnino planum est gratiam actualem ex parte Dei spectatam nihil physicum esse præter motionem prædictam illuminativam ejusdem Dei præparantis ac adjuvantis nos suā illa supernaturali illuminatio- ne ad actus supernaturales nostræ salutis , ut erat probandum.



ARTICULUS II.

*AN GRATIA ACTUALIS
ex parte Dei conferentis spectata
sit accidens in Deo ?*

16

AD VERTO modos loquendi Aristotelicos abstractissimos in omni genere materiarum disputabilium præbere occasionem agitationi difficultatis propositæ : Quamvis enim Aristotelici nihil admittant in Deo , quod non sit Deus ob simplicissimam veritatem entis Divini : atque hinc prohibeantur cogitare vel de levissima ulla entitativa differentia inter ipsum Deum , & gratiam prout ex parte ejus spectatam , nihilominus cum soleant de Divina actuali gratia loqui perinde ac si esset donum distinctissimum & à Deo qui confert illam , & ab anima cui confertur , nec è re erit , nec ad multa , quæ tota hæc quæstione subjiciemus enu-

cleanda, parum proderit præ exposuisse qualiter gratia prædicta habeat intelligibilitatem equidem omnem, sed realitatem nullam accidentis Aristotelici. Et ne gratis dixisse videar eos de gratia actuali Divina, etiam ex parte Dei spectata, loqui perinde ac de dono, quod sit diversæ tum entitatis, tum activitatis, tum actionis, ab entitate, ab activitate, & ab actione Divina, testes ipsos compello & ipsorum libros, quos interim relinquo Lectori meo consulendos.

Advero rursus Deum ob suam immensitatem, quā quidquid creavit intimè penetrat, sic conjungi cum anima, ut ad eam movendam omni motu intellectuali, quo ipsa aut ex naturâ suâ postulat, aut ex obedientiâ suâ non recusat moveri, non egeat nisi se ipso, sive suâ ipsius vi motrice ad eandem animam applicata. Atque ita non eget Deus nisi suâ ipsius vi motrice sic applicata, quoties vult animam instruere, vocare, excitare, trahere, inclinare aut utcunq; aliter intellectuam præparare & juvare ad actus intellegtales ordinis tam supernaturalis quam naturalis. Et ratio evidens est, quia id quoegeret Deus non posset immediatus conjungi cum anima, quam Deus ipse; neq; posset obtainere Divinitus vim motricem magis idoneam ad actus prædictos causandos, quam sit ipsa vix motrix divina: quare ex hoc capite esset superfluum, sicut superfluum est instrumentum, quod artifex nec

congruentius nec potentius applicare suo potest labori, quam manum propriam. Ni si insuper quod dedecret Deum necessitas adhibendi instrumenti à se distincti pro intellectuanda, ut dictum est, anima: quandoquidem Deus non minus habet erga illam rationem omnem primi & immediati agentis, quam erga cæteras creaturas, erga quas utique illam habet, ut commune est apud omnes Theologos, ubi agunt de concursu Divino immediato ad omnes actus seu motus causæ secundæ.

18. Adverto, insuper gratiam actualem, de qua agitur, non pertinere ad conceptum primarium aut aliter esse entialem naturæ Divinæ; sed ad conceptum quemdam illius secundarium, aut aliter accidentalem: gratia siquidem ista ex dictis & probatis in articulo præcedente tantummodo est actio sive motio quædam Divina instruens, inspirans, vocans, excitans, trahens, inclinans, aut utcunque aliter illuminans animam. At hæc actio sive motio non modo non ingreditur in conceptum esse entialem naturæ Divinæ: quasi non possit apprehendi Deus, quin apprehendatur prout sic agens, seu movens; sed etiam ita extraneè se habet ad illum conceptum, ut è contra distinctè apprehendamus Deum non sic semper agere seu movere, uti nec sic semper egisse seu movisse. Et revera cœpit Deus gratiam conferre quum voluit, sicut & perseverabit in ea conferenda quandiu vo-

luerit, & juxta mensuram quam maluerit plus minusve abundanter, plus minusve perenniter, plus minusve fortiter ac suaviter. Igitur gratia, de qua sermo est, non est objectum nisi cuiusdam de Deo conceptus secundarii, sive accidentalis: ideoque habet equidem intelligibilitatem omnem accidentis, sed ejusdem accidentis realitatem nullam habet, qualem inesse fingunt accidentibus prædicamentibus Aristotelici distinctam ab ipsarum respectivè subjectis, ut deinceps probabitur.

Dico itaque gratiam actualem ex parte 19.
Dei conferentis spectatam nullam habere in Deo realitatem accidentis physici Arist. sed solam intelligibilitatem accidentis metaphysici. Et primò quidem gratia actualis sic spectata nullam habet in Deo realitatem accidentis physici Aristotelici, quia realitas hujusmodi accidentis est realitas distincta ab ea, quæ est subjecti, cuius est accidens: sic enim vulgo sentiunt Scholæ Aristotelicæ accidentia prædicamentalia esse physica ob physicam realitatem, quam habent sibi propriam & superadditam realitatî physicæ subjectorum quibus insunt: quo pacto in rebus corporalibus realitas quantitatis non est realitas rei quantæ, aut realitas albedinis realitas rei albæ, &c. & in rebus spiritualibus realitas doctrinæ non est, ut fingunt, realitas hominis docti; aut realitas virtutis realitas hominis virtuosi, &c. At realitas, quæcunq; illa est, gratiæ actualis ex parte

Dei spectatæ non est distincta à realitate
sui subjecti sive Dei instruentis, vocantis,
excitantis, &c. quandoquidem aliæ quot
sunt actiones, per quas Deus instruit, vo-
cat, excitat, &c. creaturas rationales ad
operandum supernaturaliter, tñt essent
diversæ in Deo realitates, quæ & singulis
momentis in eodem multiplicarentur,
minuerentur, alterarentur modis innu-
meris; quare Deus non esset semper unus
& idem realiter, sed alius & alius reali-
ter; quod evidenter contradicit conceptui
immutabilitatis, quam secum necessariò
infert Divinitas. Imò quia si gratiæ ac-
tuales quibus Deus animam juvat ad ope-
randum supernaturaliter essent in Deo to-
tidem realites & ab ipso & abs se invi-
cem distinctæ, ferendum occurreret idem
judicium de gratiis cæteris actualibus,
quibus ab eodem Deo juvatur pariter ani-
ma ad operandum in ordine naturali: vi-
de quantò numerosior hinc fieret reali-
tatum Deo inexistentium multiplicitas,
quæ præterea excresceret in multitudinem
multò innumerabiliorem, si non aliter
opinandum esset de actionibus universis,
per quas movet Deus & juvat causas om-
nes secundas ad omnes ipsorum actus. Un-
de consequeretur Deum esse ens compo-
tissimum, quod nemo dixerit. Igitur gra-
tia actualis ex parte Dei conferentis spec-
tata nullam habet in Deo realitatem spe-
cialem accidentis physici Aristotelici, sive
quod in idem coincidit, non est in Deo
accidens,

accidens, qualiter in sensu physico Aristotelico solet accipi : & hæc erat prima pars assertionis meæ probanda.

Secundò. Neque tamen deest eidem gratia actuali sic spectatæ omnimoda intelligibilitas accidentis metaphysici : quatenus hæc intelligibilitas nihil aliud est, quam considerabilitas alicujus rei per diversos conceptus, quibus seorsim attinguntur diversæ illius rei seu proprietates seu actiones. At sicuti potest considerari Deus aut præcisè ut omnipotens, aut præcisè ut justus, &c. ita potest considerari præcisè ut gratificans tum in ordine naturali, tum in ordine supernaturali, de quo agitur: sicut etiam ex converso considerati potest præcisè ut Deus non considerato quod sit gratificans. Quia vero juxta rationalem successionem conceptuum prius est Deum esse. quam esse gratificantem, consequens est formalem istum conceptum Dei prout gratificantis esse secundarium, sive accidentale. Ergo pariter secundarius est, sive accidentalis, conceptus objectivus illi correspondens: quod idem est ac si dicam id quod ex parte Dei est, esse gratificantem, esse conceptibiliter quid secundarium, sive accidentale. Atque ita gratia actualis ex parte Dei spectata, & considerata secundum id formale, per quod habet Deus esse gratificantem obtinet in eo intelligibilem omnimodam accidentis metaphysici: quæ erat pars altera præmissæ assertionis ostendenda.

21. Quod si quis dixerit solitum esse , ut gratia actualis apprehendatur sub concep-
tu alicujus doni , quod à Deo liberaliter
impeditur seu infunditur animæ , ita
quod nihil sit nisi datum illud optimum ac
donum perfœcum descendens à patre lumen,
de quo loquitur D Jacobus Apostolus in
epistola sua catholica : hinc autem sequi-
tatem gratiam ex parte Dei conferentis
æquè ac ex parte animæ recipientis spec-
taram esse in Deo realitatis alicujus , ac
non minus distincte à Deo conferente ,
quam ab anima recipiente : ut probari po-
test paritate sumptu ex donis cæteris , vi-
delicet pecuniis , vestibus , libris , &c. De
quibus satis constat qualiter & à confe-
rentibus , & à recipientibus differant.
Quia vero aliunde etiam constat gratiam
actualēm , de qua agitur , non esse substan-
tiām , hinc rursus sequetur illam esse in
Deo accidens reale sive physicum , sicut
Theologi vulgo sentiunt , aut certè lo-
quuntur , tanquam id sentiant.

22. Si quis , inquam , sic dixerit , lectorēm
precor ut advertat quam crassus ac erro-
neus sit talis conceptus , quo gratia collata
apprehenditur ad instar aut nummi , aut
vestimenti , aut libri , aut alterius cuius-
vis doni similis , quod quis alteri largi-
retur : cum ē contra apprehendenda non
sit nisi ad instar inspirationis animam in-
tellectuantis. Ratio est , quia quidquid
aliud ab hujusmodi inspiratione , seu illu-
minatione concipias , id proorsus alienum

erit à vera ratione doni intellectualis ,
quod unum est agenti intellectuali pro-
portionatum : sicut enim ad aliquid loca-
liter movendum sola est motio localis ,
quæ convenit ; ita sola est motio intellec-
tualis quæ convenit ad animam intellec-
tualiter movendam : hujusmodi autem
motio intellectualis quid est nisi illumi-
natio ? Et ideo D. Jacobus optimè ad
rem nostram monet nos *datum illud optimum ac donum perfectum* , quod est gratia
actualis Divina , descendere à Patre lumi-
num , ut statim intelligamus illud in sola
quadam illuminatione à Deo in nos trans-
missa consistere. Sed & versus sequens ad
eandem rem nostram sic habet. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis , ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Ubi verbum
illud veritatis , quo gignimur & initiamur
creatutæ Dei , prout incipimus cogitare
de Deo & in lege ejus ambulare , sicuti
par est filios ambulare in lege Patris , quid
rursus est , nisi veritas ejusdem legis Di-
vinæ nobis inspirata per assiduas illumi-
nationes & eruditiones paternas in his
omnibus , quæ ad gloriam ipsius Dei , &
ad salutem nostram intersunt ? Ex hoc au-
tem quod gratia actualis , de qua agitur ,
non differat ab actuali illuminatione Di-
vina satis appetet qualiter nullius sit in
Deo realitatis à Deo distinctæ , etiam
accidentalis ; sed' tantummodo cujusdam
accidentalis conceptibilitatis , qualem
explicui.

23. Nec ulla tenus obstat quod multi Theologi de gratia Divina actuali sentiant sic , aut certe loquantur tanquam de dono accidental i præexistente in Deo , & à Deo derivante in animam , quia jam sat s tis evidens est donum illud non posse accipi in sensu physico , quem inquirimus , sed tantum in allegorico , quem permittimus . Novimus enim mysteria fidei non raro id exigere , ut exponantur per condescensus allegoricos : & sic nihil equidem vetabit explicare dona gratiarum per comparationem ad dona cœtera , quæ ditant , quæ sanant , quæ ornant , quæ nutriunt hominem ; sed quia nihilominus animam ditari , sanari , vestiri , ornari , nutriti , nihil est nisi eam intellectualiter perfici , nec illam sic perfici aliud est quam illuminari , consequens est omnia animarum dona à Deo donata revocari in hac quidem vita ad lumen gratiarum , ut in altera ad lumen gloriae , id est ad illuminationem magis minusve perfectam : hæc autem illuminatio quatenus in Deo & à Deo est , non differt ab illo in ratione accidentis physici Aristotelici ; sed tantummodo metaphysici , ut dictum fuit .

24. Aut si quis alias è contra dixerit receptissimum esse apud Theologos , ut non modo formaliter identificant cum Deo omnia attributa Dei , sed insuper omnes actiones talium attributorum : quo pacto non tantum afferunt Deum esse formaliter suum ipsius intellectum , suam ipsius

voluntatem, suam ipsius justitiam, suam ipsius misericordiam, &c sed præterea suam ipsius actionem volendi, suam ipsius actionem puniendi, suam ipsius actionem miserendi, &c. Unde concludatur actionem gratificandi, quæ secundum nos est gratia actualis, de qua agitur, identificari formaliter cum Deo, atque ita gratiam istam non modò quicquam physicæ, sed nec quicquam metaphysicæ accidentalitatis obtinere in Deo: quid respondebitur?

Respondebo & rursus precabor Lectorem ut advertat Theologos non inducere identitatem istam formalem, quoties hanc inducunt, Dei cum suis attributis, immo cum actionibus attributorum ipsius, nisi ut apertius suadeant quām incomprehensibilis sit simplicitas totius esse Divini. De cætero enim nonne scorsim agunt de singulis attributis Divinis, ac de specialibus singulorum operationibus; nonne istis & illis aptant scorsim distinctissimas definitiones, in quo utique genere ac modo disputandi de Divinis attributis & eorum operationibus satis ostendunt varietatem ac successionem conceptuum, quos efformant de illis: hæc autem varietas conceptuum succedentium nonne est distinctiva reium conceptriarum, quas præterea nec continget unquam sic scorsim & distinctè concipi, nisi essent scorsim & distinctè conceputiles? itaque licet quidquid in Deo est, in eo sit æquè primò, & æquè primò intelligibile absolute, re-

lativè tamen ad nostros conceptus non est intelligibile æquè primò : alioquin si in Deo nullus esset ordo prædictæ intelligibilitatis , nullus esset apud nos ordo intellectionis. Hinc autem eruo , quod sanè erendum est , unum esse aliquid in Deo , quod relative ad nostros conceptus est primò ac primum intelligibile , & aliud quod est secundò ac secundum intelligibile , & aliud quod est tertiò ac tertium intelligibile , &c. At secundum intelligibile se habet accidentaliter ad primum ; tertium verò ad primum & secundum , & sic de aliis. Ergo nihil vetat admittere in Deo accidentalitates varias metaphysicas , cum utique admittendæ sint istæ priores ac posteriores conceptibilitates , sine quibus nullæ in nobis essent priores ac posteriores conceptiones hujus & illius attributi Divini , hujus & illius actionis Divinæ.

26 Tandem fateor verum esse in sensu physico quidquid Theologi sentiunt ac pronuntiant de omnimoda identitate inter totum esse Divinum & attributam totius esse Divini , quin & inter actiones talium attributorum ; propterea quod totius esse Divini ea sit simplicitas physica , quâ nulla major possit excogitari. At id planè negandum esse censeo in sensu metaphysico , de quo jam agitur , quia esse Divinum et si physicè simplicissimum , est virtualiter multiplicissimum intelligibiliter , seu metaphysicè. Unde tantum abest ut

An gratia actualis, ex &c. 31
aliena sit à Deo multiplicitas hujusmodi metaphysica , ut è contra major in eo sit, quām in quovis ente creato : neque deest evidens ratio : quatenus incomparabiliter numerosiores in Deo sunt proprietates & proprietatum actiones intelligibiles , quām in quavis creatura sint aut esse possint. Itaque superest gratiam actualem , de qua agitur , ex parte Dei spectata non esse in Deo accidens physicum , quasi ab ipso physice distinctum : sed tantummodo metaphysicum , seu distinctum metaphysice , ut erat probandum , & probasse proderit in decursu.



ARTICULUS III.

QVID REI PHYSICÆ
*sit gratia actualis ex parte animæ
recipientis considerata ?*

PRÆNOTABO animam non posse præparari aliter & juvari ad actus ordinis supernaturalis , quām per receptionem præviam & continuatam motionis alicujus supernaturalis ; quia enim per se ipsam non est in eo statu , ac multò minus in eo motu supernaturali , quem important actus prædicti supernatu-

rales , necesse est eam ad talē statum & motum elevati per motionem ejusdem status in ipsa receptam Quod facile intelliges , si advertis non posse animam transire ex statu naturali in supernaturalem , ac multò minus ex motu naturali in supernaturalem , nisi fiat in eā quædam mutatio : talis autem mutatio est motio quædam passiva , ejus scilicet ordinis , ad quem mutatio ordinatur : alias enim si anima maneret immota , maneret eadem ; at manens eadem , non mutaretur , ut patet ex terminis. Itaque anima ad supernaturaliter operandum indiget receptione *prævia* & *continuata* motionis alicujus supernaturalis Divinæ. Dico *prævia* & *continuata* , quia statimque cessaret *prævia* illa motio , relinquetur anima sibi ipsi ac suo statui naturali , extra quem , sive potius supra quem est omnis actus supernaturalis : atque ita cessante *præviâ* illa supernaturali motione cessaret illico anima supernaturaliter operari : igitur ad hoc ut supernaturaliter operetur tam indiget continuatione talis motionis supernaturalis , quām *præventione* ejusdem. Hoc pacto si motio , de qua hīc agitur , est supernaturalis quædam illuminatio , ut ex articulis præcedentibus subinfertur , consequens erit nec posse animam velle quicquam supernaturaliter , nisi sic *præilluminetur* : nec posse similiter quicquam perficere , nisi perseveranter eadem illa *præilluminatione* fruatur.

Prænotabo rursus omni motioni activæ 28
sic correspondere ex toto omnem motio-
nem passivam, ut hæc sit solus ac totus
effectus illius. Et ratio evidens est, quia
motus non causat nisi motum, activus scilicet
passivum communicatum mobili à
moyente: unde sequitur nihil præter id,
quod est *mobile moveri*, fieri à moyente.
Hinc si bene attenditur ad omnes effectus,
qui in universa rerum corporearum Natu-
ra accidunt, deprehendetur eos nihil esse
nisi novos motus locales passivos corres-
pondentes omnino motibus activis consi-
milibus, ita quod nihil occurrat ab agen-
tibus corporeis causatum in passis corpo-
reis, nisi id quod est ista jungi, misceri,
combinari, componi, dividii, scindi, dis-
solui, atteri, rumpi, projicii, transfe-
ri localiter, & correspondenter ad vim
& activitatem, quæ in illis est jungendi
sic localiter, miscendi, combinandi, com-
ponendi, dividendi, scindendi, dissol-
vendi, atterendi, rumpendi, projicien-
di, transferendi, &c.

Tum verò si notionem hanc naturæ cor- 29
poreæ transferimus ad naturam intelle-
ctualem, quæ præter vim istam agendi &
patiendi localiter, de quâ hic non est ser-
mo, habet alteram multò superiorem, quæ
est agendi & patiendi intellectualiter, qua-
tenus potest inspirare & inspirari, erudire
& eruditiri, monere & moneri, consulere &
consuli, suadere & suaderi, &c. hinc erui ap-
tissimè poterunt multa motiva ad firman-

dam doctrinam, quâ deinceps decidetur gratiam actualem ex parte animæ recipientis spectatam nihil rei physicæ esse in eâ, nisi solam aliquam motionem passivam internam intellectualem supernaturaliter acceptam; ita ut quidquid excogitari potest præter prædictam motionem, despiciendum sit tanquam omnino extraneum notioni gratiæ actualis prout receptæ, de qua nunc agitur.

30 Et hæc quidem doctrina probatur. *Primum*: Quia gratia actualis ex parte animæ recipientis spectata nihil aliud est, quam id, in quo consistit ex parte Dei illa eadem gratia actualis, receptum seu prout receptum in anima: sed ex prædictis illa gratia actualis consistit ex parte Dei in aliqua motione videlicet intellectuali supernaturali: igitur & consistit pariter ex parte animæ in hac ipsa motione recepta, seu prout recepta. Atqui præterea ex prænotatis motio recepta seu prout recepta nihil est nisi motio passiva; manifestè consequens est gratiam actualem ex parte animæ recipientis præcisè spectatam, esse tantummodo motionem aliquam passivam, videlicet intellectuali supernaturali, & correspondentem alteri præsuppositæ intellectuali supernaturali activæ, quâ Deus animam prævenit & juvat, ut operari supernaturaliter possit.

Hæc eadem doctrina probatur. *Secundum*: Quia mobile moveri nihil aliud est, quam admittere motum moventis, ita quod me-

cus moventis efficiatur motus mobilis ,
sitque motus moyentis & mobilis unus &
idem in re , licet duplex in ratione , aut ,
quod idem est , in relatione hinc ad mo-
vens , hinc ad mobile , sicut in philoso-
phia satis vulgare est . Igitur animam à
Deo moveri ad operandum supernaturali-
ter nihil aliud erit in re , quām illam ad-
mittere in se motum Dei moventis . At-
qui gratia actualis ex parte Dei tantum
consistit in motu quodam Dei moventis .
Ergo eadem gratia consistit tantum in so-
la admissione talis motus . Quid autem est
hæc admissio talis motus nisi motio quæ-
dam passiva ? Unde superest gratiam ac-
tualem ex parte animæ recipientis consi-
deratam nihil aliud in re physica esse ,
quām certam aliquam motionem passi-
vam , videlicet intellectualem supernatu-
ralem , ut erat probandum .

De cætero autem hæc motio passiva , 32.
in qua assero consistere gratiam actualem
ex parte animæ recipientis spectatam ,
etsi multiformis sit propter multiformes
modos , quibus anima vocatur , excitatur ,
trahitur , inclinatur , suadetur , terretur ,
&c. nihilominus rectè exprimitur hoc uno
vocabulo generico *illuminationis passiva* ,
sicut supra expressi hoc uno altero *illumi-*
nationis activa omnem motionem cui con-
venit notio ejusdem gratiæ actualis ex
parte Dei spectatæ . Ratio est : quia ani-
ma ex hoc , quod tota sit intellectualis ,
movet nisi motu intellectuali non potest ,

id est motu intellectus sibi impressæ à Deo vocante, excitante, trahente, inclinante, suadente, terrente, &c. Hæc autem intellectio omnis sic impressa quid est nisi illuminatio quædam passiva? pendens utique à rationibus, quas anima excipit sibi à Deo communicatas, & ad quas si attendit, advertit sibi hic & nunc incumbere ut credat, speret, amet, inimico parcat, pauperi succurrat, &c. Dixi si attendit, quia alias illuminationem exceptam non adverteret ad eundem modum quo sæpe non advertitur illuminatio quædam corporea sensus nostros afficiens ob distractionem mentis aliud & aliud cogitantis. Sic igitur propter mundanas cogitationes, quibus anima distrahitur, non tardò contingit, ut superni luminis irradiantis, id est supernæ alicujus cognitionis fulgorem non advertat: & ideo hominibus in lege Divina ambulantibus nihil tam consultum esse velim, quam ut attendant ad cogitationes Divinitus inspiratas: neque putaverim posse convenientius aut fructuosius fieri præparationem, pro de qua legitur *Hominis est animam præparare.* Præparat Deus animam inspirando: præparat se anima attendendo.

33. Addo inspirationem seu illuminationem passivam animæ quatenus est motio ejusdem passiva, secum necessariò inferre configurationem aliquam in ipsa impressam: idque intelligi potest à pari, quantum videlicet pares esse possunt res spirituales corporeis,

corporeis, ex impressionibus, quæ relin-
quuntur in corporibus compressis, attri-
tis, contusis, sigillatis, &c. in quibus
utique omnis motio passiva est impressio
quædam telicta. Neque est quod hæc doc-
trina de consignationibus spiritualibus
impressis animæ nova videatur Theologis,
tum quia coincidit omnino cum illa, quæ
explicant collocutiones & cæteras cōmu-
nicationes Angelicas: tum quia D. Tho-
mas illam satis insinuat his verbis. *Omnis*
inclinatio alicuius rei vel naturalis vel volun-
taria nihil aliud est, quam quedam impressio
à primo movente &c. itaque quoties nobis
aliquid speciale inspiratur à Deo, toties
in anima fit impressio specialis, ad quam
attendens optimè discernit quid Deus
velit, quid jubeat, quid promittat, quid
comminetur, &c. Vel maximè quia hæc
impressio nihil est nisi species ipsa impres-
sa volitionis Divinæ, iussionis Divinæ,
promissionis Divinæ, comminationis Di-
vinæ, &c. Præterea vero quidquid in sa-
na Philosophia traditur de speciebus
impressis effectricibus omnis cognitionis
tum animalis, tum intellegualis, abunde
confirmat illuminationes omnes passivas
supernaturales ad auxilia gratiæ actualis
Divinæ spectantes esse consignationes
quasdam spirituales impressas, de quibus
alibi fusi exponendis explicò interim
illud prophetæ Regii signatum est supernos
Iumen vultus tui Domine.

Tandem & obiter dico inspirationem 34.

D

omnem Divinitus impressam animæ vocari passim in sacris scripturis spiritum, videlicet aut bonum de quo legitur. Quantò magis Pater uester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se: aut rectum, aut sanctum, aut principalem, sicut orabat psal. propheta Regius. *Spiritum rectum innova*
 50. *in visceribus meis . . . spiritum sanctum*
tuum ne auferas à me . . . spiritu principali
confirmame: aut etiam generatim spiritum
 c. 36. *Domini, hinc apud Ezech. legitur. Spi-*
ritum meum ponam in medio vestri, & fa-
ciam ut in præceptis meis ambuleatis, & judi-
cia mea custodiatis & operemini Hic ipse est
spiritus omnis virtutis, spiritus sapientiae,
spiritus consilij, spiritus fortitudinis,
spiritus timoris, spiritus tandem cogi-
tandi & agendi quæ recta sunt, quem
 in o. *exorat Ecclesia, & Augustinus omni-*
rat. Dom. no ad rem nostram aptissimè vocat spi-
 8. pos. *ritum gratiæ.* E contra inspiratio quævis
 pent. mundana aut diabolica vocatur in sa-
 lib. cris paginis spiritus aut *invidiæ malus,*
 de qualis invaserat Saulem; aut *mendacii,*
 cor. qualis pseudoprophetas decipiebat; aut
 x. p. *odii*, qualis dividebat Abimelech à Si-
 gr. chimitis; aut *immundicie*, qualis fœdabat
 e. 1. *idololatras;* &c. Hinc non omni spiritui
 reg. credendum; sed probandi sunt spiritus si
 26. 3. *ex Deo* sint. Neque parum prodest hæc
 3. 2. *jud acceptio spiritus pro inspiratione impres-*
 9. 2. *zac sa ad explananda illicò plurima sacræ*
 13. 1. *scripturæ loca, quorum aliæ sensus esset*
 joa. 4. *subobscurus. Vide infra n. 121. Redeo*

jam ad id, quod ex professo hic probatum est, gratiam actualē ex parte animæ recipientis spectatam nihil esse, nisi motionem quandam passivam seu illuminacionem quandam passivam ejusdem animæ, & solvo unam alteramque difficultatem in contrarium objicibilem.

Prior itaque difficultas, quæ posset in 35.
contrarium objici petitur ex hoc, quod
gratia actualis ex parte animæ recipientis
spectata sit effectus ejusdem gratiæ actualis
spectatæ ex parte Dei, & à Deo pro-
venientis. At istius gratiæ effectus esse
non potest illuminatio passiva, quam ex-
plicuimus: quia illuminatio illa passiva
est effectus necessarius; tam enim necesse
est illuminari animam lumine supernatu-
rali quando infunditur, quam necesse sit il-
luminari oculum corporeum lumine solari
quando irradiat. Aliunde vero effectus
gratiæ Divinæ est effectus liber, id est
pendens ab humana libertate, cui fas est
admittere gratiam illam vel respuere, ob-
sequi vel resistere, cooperari vel contra-
riari ad libitum. Igitur gratia actualis ex
parte animæ recipientis spectata non con-
sistit in præmissa illuminatione passiva,
quæ nec ullo dissensu potest rejici, nec
ullo assensu retineri.

Respondeo difficultatem hanc esse me- 36:
rē vocalem: licet enim gratia spectata ex
parte animæ recipientis sit effectus gra-
tiæ spectataæ ex parte Dei conferentis,
quatenus ex parte animæ recipientis est

passio, ut ex parte Dei conferentis est actio; nihilominus iste effectus quem fatetur esse necessarium, & fieri in nobis sine nobis, non ille est, quem interest esse liberum. Nam ille, quem interest esse liberum, est effectus gratiae collatæ simul acceptæ, videlicet illuminationis, quæ in anima est à Deo; cuiusmodi effectus est actus fidei, actus spei, actus amoris, actus humilitatis, actus fortitudinis, &c. Et hic effectus est omnino liber; quatenus anima licet illuminata quantum necesse est ad hoc ut credat, ut speret, ut amet, ut se humiliet, ut fortiter se gerat, &c. non modò potest non credere, non sperare, non amare, &c. sed etiam multoties neque credit, neque sperat, neque amat; &c. aut quia ad supernaturale lumen illud non attendit, aut quia se avertit ab illo præferens puritati illius obscænas concupiscentiarum faces, quibus ad voluptatem, ad avaritiam, ad iram, &c. provocatur. Vides itaque difficultatem hanc, si proprius inspicitur, esse merè vocalem, ut dixi.

37. Posterior verò difficultas, quæ in contrarium objici posset, desumitur ex eo, quod anima nihil operetur in ordine supernaturali, nisi propter vim ac virtutem gratiae in ipsa receptæ: atque ita necesse est ut hæc gratia recepta habeat singularem supernaturalem activitatem, sine qua non modò non possimus supernaturaliter operari, sed quâ supernaturaliter operemur, ut patet ex doctrina Theologica,

quæ gratiæ Divinæ operanti non tantum tribuit necessitatem auxilii sine quo non; sed insuper efficaciam auxilii quo. At nullo modo convenit aut convenire potest hujusmodi activitas illuminationi illi passivæ , in qua asservimus consistere gratiam receptam , id est ex parte animæ recipientis spectatam : siquidem illuminatio passiva passio est ; passio autem activa non est ; neque enim datur actio passionis , ut patet ex ipsis terminis. Igitur gratis ac falso exponitur quid rei physicæ sit gratia recepta , per prædictam illuminationem passivam : multoque solidius ac verius id exponeretur , ut exponi solet , per entitatem aliquam ordinis supernaturalis accidentalem à Deo productam , & in anima ad instar qualitatis fluentis receptam , cui deinceps conveniat activitas productiva actuū nostrorum supernaturalium.

Respondeo posteriorem hanc difficultatem , quæ nec minus quam prior meré vocalis est , patere solutioni facillimæ : dummodo attendatur animam prout intellectualē , non posse nisi intellectualibus motivis moveri ad opera dum sive naturaliter , sive etiam supernaturaliter : Talia autem motiva intellectualia nihil sunt aliud , quam rationes graves unius aut alterius ordinis , quæ ipsi qualitercunque suggesturuntur , ut suadeatur sic vel sic operari . nam hoc vele ac physicè est animam intellectualiter operari , quod est eam operari propter motiva intellectu-

tualia & intelligibiliter præsentia. At il-
luminatio passiva, in qua diximus confi-
stere gratiam receptam, secum importat
motiva intellectualia supernaturalia, quæ
utique non tantum sunt animæ necessaria
ad operandum supernaturaliter; sed insu-
per efficiunt, imo sola sunt quæ efficiant
ut supernaturaliter operetur. Ista autem
motiva quamdiu præsentia adserit tamdiu
habent activitatem, quâ anima movea-
tur, sicut lumen corporeum quandiu est
præsens oculo, tamdiu illum movet: ne-
neque huic virtuti motrici obstat; quod
lumen illud sit receptum in oculo, imo
qualiter eum moveret, nisi in eo esset re-
ceptum? Atque ita jam vides difficul-
tatem istam esse pariter ac eam, quæ præ-
cessit merè vocalem, quatenus quisquis
eam sic proponeret, frustra sumeret ter-
ninos illuminationis passivæ in sensu pudi-
metaphysico & abstracto: non autem,
ut pax est eos sumi in sensu verè physico
& concreto, juxta quem non est atten-
denda illuminatio passiva præcise ut est
passio; sed prout est talis passio, quæ
secum importat lumen supernaturale re-
ceptum: quod in anima viget & agit
quandiu in ea est; ut in oculo corporeo vi-
get, & agit lumen solare, quandiu il-
lum afficit. Quod verò adjicitur de enti-
tate accidentalí, & ad instar qualitatis
fluentis recepta, & productiva actuum
supernaturalium, fabula est, ut in arti-
culo sequente probabitur.



ARTICULUS IV.

*AN GRATIA ACTUALIS
ex parte animæ recipientis spectata]
sit accidens in anima.*

PRÆSUPPONO nullatenus pertinere ad 39. conceptum primarium animæ quod sit illuminata à Deo lumine supernaturali movente ipsam ad operandum supernaturaliter; atque ita planum est gratiam actualem ex parte animæ recipientis spectatam, & consistentem in illuminacione ejusdem animæ passiva, esse illi accidentalem: quatenus quidquid non spectat ad primatum conceptum rei, concipitur accidere illi, ut risibile rationali. Sic itaque accedit gratiam recipi, & hoc sensu est accidens animæ recipientis, qualiter & est accidens Dei conferentis, ut supra art. 2. ostensum est. At sicut ibidem ostensum fuit istud accidens, quod pure metaphysicum est, nullam habere in Deo realitatem accidentis Physici Aristotelici, hoc ipsum hic quoque sum ostensurus, tale accidens nihil habere in anima physice realitatis ab ipsa distinctæ: ac præser- tim quia nulla est excogitabilis hujusmodi.

Quæstio I. Art. IV.

realitas producta & inexistens, quæ vel obtineat vel obtinere etiam divinitus possit in anima vim atque industriam præparandi ipsam ut opus est, & juvandi ad operandum supernaturaliter.

40. Præsuppono tursus non aliter discendum esse de passione, quam de actio-
ne in ordine ad admittendam in utraque,
vel ab utraque excludendam realitatem
propriam ac singularem, quæ vel sit, vel
non sit entitas hinc agentis, hinc pa-
tientis:ratio enim quæ probat agens agere
aut non agere per se ipsum independen-
ter ab entitate distincta, quæ sit actio,
probat patiens pati aut non pati per se
ipsum independenter ab entitate distinc-
ta, quæ sit passio: vel maximè, quia
actio & passio non sunt in re nisi unus
motus, ut expressè docet D. Thomas 2. p.
q. 28.art. 3. ex Aristotele 3. Physicorum.
Quare si bene attenditur ad superiora
argumenta, quibus probatum est actio-
nem Dei gratiam conferentis non esse in
Deo physicam ullam accidentalem reali-
tatem à Deo distinctam, advertetur ca-
dem &què probare passionem animæ gra-
tiam recipientis non esse in ipsa physi-
cam ullam accidentalem realitatem ab
ipsa distinctam: ac præsertim quia ut illa
prior distinctio physicam compositionem
involveret, quæ à Deo proorsus aliena
est; ita & hæc posterior pariter importa-
ret physicam compositionem, qualem ani-
ma non admittit. Itaque receptio gratiæ

præcisè ut receptio est , nec aliud involvit nisi conceptum abstractum passionis , non est entitas realitatis distinctæ ab ea , quæ est animæ recipientis : neque est cur in hac veritate stabienda diutiūs hæreatur . Satis erit si probem id , quod in anima recipitur , & vocatur gratia actualis animæ collata , non esse entitatem realem accidentalem , ad quam pertineant ministeria gratiæ actualis : Atque in hoc redarguentur Theologi Aristotelici , quibus in mentem venerit aut venire possit gratiam actualem esse de genere qualitatum illarum prædicamentorum , quibus tribuunt actuarie sive perficere sua subjecta , uti calori calefacere lignum , frigori infrigidare nivem , gravitati gravificare plumbum , &c.

Præsuppono tandem non posse gratias spirituales supernaturales quoad sui physicam entitatem melius concipi , quam comparativè ad alias pariter spirituales ordinis naturalis , quales v. g. sunt monitiones , præceptiones , suasiones , comminationes , arguitions , increpationes , obsecrationes , &c. oratoriæ , quibus impelli- mur ad venerationem alicujus mysterii , ad dilectionem inimici , ad observationem jejuniti , &c. Namque istæ omnes elocutiones sunt totidem illuminationes naturales , quæ nos ad hæc aut illa bona sollicitant , sicuti dictum est gratias supernaturales in illuminationibus ordinis supernaturalis consistere . Quare sicut

esse neminem puto qui fingat Oratorem aliud nihil præstare , quām producere in mentibus auditorum suorum entitates accidentales , quæ deinceps sic productæ monent , præcipiant , suadeant , comminentur , arguant , increpant , obsecrant , &c. Ita non video quomodo absque fictione turpissima possit quis tribuere entitatibus intra ordinem supernaturalem productis eadem illa officia monendi , præcipiendi , suadendi , comminandi , arguendi , increpandi , obsecrandi , &c. Tum verò ut è contra Orator non aliter movet auditores suos ad hæc & illa bona moralia , quām per eas , & earum rerum naturales repræsentationes quæ fiunt dependenter à motionibus sonoris , & aliis quas istæ causant in senū communī , ac deinceps per sensum communem in anima ; hinc etiam bene concipitur qualiter repræsentationes ordinis supernaturalis possint in anima fieri à Deo seu immediate , seu mediate ut voluerit independenter ab ullo entitatum præproductarum subsidio . Quæ omnia imposterū uberiùs exponentur .

42. His præsuppositis dico gratiam actuellem ex parte animæ recipientis spectatam id est gratiam prout receptam , eis habeat rationem inelligibilem accidentis metaphysici , non habere realitatem ullam accidentis physici , quale fingi posset animam actuare & movere ad actus supernaturales nostræ salutis .

Prima probatio hujus assertionis hæc 43.
erit. Si daretur in anima quædam hujus-
modi entitas realis , cui competeteret esse
& vocari gratiam actualem , illi utique si-
mul competenteret quidquid activitatis tri-
buitur graiæ actuali pro anima vocanda ,
excitanda , trahenda , inclinanda , robo-
randa , præparanda tandem & juvanda per
illuminationem idoneam ad actus super-
naturales. Atqui nulla est entitas realis
etiam Divinitùs producibilis , cui com-
petat hæc activitas : quia activitas vocan-
di , excitandi , trahendi , &c. supponit
in vocante , excitante , trahente , &c. cog-
nitionem modi , quo hic & nunc , in his
& illis circumstantiis vocanda sit anima ,
excitanda , trahenda , &c. Hujusmodi au-
tem cognitionis est omnino ac necessariò
expers entitas quæcumque illa realis exco-
gitabilis , si forte non singitur ad instar
Angeli animam intimè penetrantis , eam-
que cognitione sua prævenientis & eru-
dientis circa res cogitandas & agendas :
quamquam nec ista cognitio quasi ange-
lica sic animæ communicata haberi posset
pro gratia sive illuminatione ordinis su-
pernaturalis , ut supra notatum est n. 13.
Ergo nulla est entitas realis accidentalis
ex cogitabilis , cui competit esse & vocari
gratiæ actualem receptam , de qua agi-
tur : atque ita è converso hæc eadem gra-
tiæ actualis recepta , de qua agitur , non
est accidens in anima & ab anima distinc-
tum , ut in secta Aristotelica Theologica

à multis fингitur propter philosophicas præventiones & assuetudines tribuendi plerosque , si minus omnes , naturales effectus hujuscemodi entitatulis , quas vocant accidentia.

44. Secunda probatio hæc sit. Si admittitur gratiam actualem receptam esse accidens physicum in anima & ab eadem physice distinctum , id admittitur : aut quia non potest Deus per seipsum in anima præstare quidquid præstat per illud accidens : aut quia non potest illud saltem præstare tam convenienter , tam connaturaliter , tam promptè , tam fructuosè , &c. At neutrum ex his duobus potest salvo jure Divinæ omnipotentiae propugnari. Non primum , quia Divinam omnipotentiam omnino dedecret necessitas producendi hujuscemodi accidentis pro obtainendis ab anima his effectibus , qui gratiæ tribuuntur : imo non potest esse nisi prouersus fictitia hæc necessitas ; quandoquidem ea vis , quæ in accidente illo producto vigeret ad prædictos effectus obtainendos , esset utique vis ipsi à Deo communicata. At quæ ratio est cur Deus non possit per se ipsum exercere vim , quam communicat ? vel maximè quia Deus est movens universale , ac proinde movens omnes creaturas omnibus modis , quibus sunt mobiles , corporaliter corporales , intellectualiter intellectuales. Ergo ad movendam animam eo motu intellectuali supernaturali , quo eam moveri necesse est ut supernaturaliter ope-

resur ,

retur, non indiget subsidio ullo accidentis in ipsa preproducti, & ab ipsa distincti. Sed neque secundum propugnari potest; quia cum Deus sit per se ipsum lux supernaturalis, id est omnia naturalem lucem excedens, nec alio quam hujus lucis motu communicato opus habeat ad actus supernaturales, quos voluerit, obtinendos ab anima, quam & aliunde penetrat intimè totam: quomodo potest quicquam aliud convenientius, connaturalius, promptius, fructuosius, &c. movere animam hoc aut illo motu illuminativo, in quo consistit hæc aut illa gratia actualis? Unde quamvis posset Deus, quod impossibile est, communicare entitati accidentali spirituali, quallem eam esse fingunt, quam vocant gratiam actualem, vim movendi intellectualiter animam in ordine ad actus supernaturales, saltem nec tam convenienter, nec tam connaturaliter, nec tam promptè, nec tam fructuosè id præstaret entitas ista, quam id præstet Deus per se ipsum. Ergo superflua est, ac proinde etiam nulla est talis entitas, cui tribui possit esse in anima supernaturaliter movenda accidens physicum, & physicè ab ipsa distinctum.

Tertia denique probatio hæc est, & 45.
eruitur ex numero innumerabili motionum intellectualium, quibus opus est pro variis temporum ac rerum circumstantiis animam moveri ad actus supernaturales suæ salutis. Hujusmodi enim motiones

tot sunt, quot sunt pro variis prædictis circumstantiis veritates ipsi sic & sic ostendendæ, sic & sic suadendæ, ut per & propter earum ostensionem & suasionem hæc & illa credat mysteria, hæc & illa speret præmia, hæc & illa diligat bona, hæc & illa timeat supplicia, hæc & illa observet præcepta, &c. Unde quia non potest una eademque entitatula accidentalis esse nata apta imprimere tot ac tam varias motiones, quæ nihilominus imprimuntur omnes per gratiam actualem receptam, consequens est non consistere gratiam istam actualem receptam in illiusmodi entitatula.

46. Nisi forte dixeris non defuturas tales variii generis ac vigoris specifici entitatas, quas Deus pro varietate producendorum effectuum producit & applicabit. At si id dixeris vide quām ridiculum sit admittere varietatem tam multiplicem genericam ac specificam accidentium sive seorsim, sive conjunctim in anima producendorum, ad obtainendas ab ea effectus, quos obtainere ab eadem posse unica simplicissima illuminatio Divina recepta, in qua ex articulo præcedente patet consistere gratiam actualem receptam. Ac tum vide rursus quām ridiculum quoque sit reputare, uti reputare necesse est, ex istis accidentibus tam multiplicibus aliud quidem deputatum ad officia præcipiendi, aliud ad officia suadendi, aliud ad officia promittendi, aliud ad officia comminandi, &c. aut etiam aliud

An grat act. ex parte ani. &c. 51
ad officia præcipiendi dilectionem inimicorum , aliud ad officia præcipiendi dispensationē eleemosinārum, aliud ad officia præcipiendi auditiones missarum, &c. Præterquamquod non potest concipi qualiter accidens hoc aut illud præcipere mihi aliquid possit, nisi vel Deo ipsū interpellante ut præcipiat, vel non interpellatum applicante ad efficiendā in anima mea impressiōnem, quam efficeret præceptio ipsa Dei immediata. Si primum: admittenda erit cognitio in hujusmodi accidente , siquidem agnoscente se esse interpellatum , ut præcipiat , & agnoscente simul rem præcipiendam ae modum ejusdem præcipiendā. Si secundum: hinc ad minus apparebit , quām nulla sit hujusmodi accidentis producendi necessitas : Ergo gratia actualis recepta nullam obtinet in anima realitatem accidentis physici & physicè ab ipsā 47. distincti , ut erat probandum;

Dixi *et si habeat rationem intelligibilem accidentis metaphysici* : & ideo dixi , quia receptio gratiæ non pertinet , ut præsupposui ; ad conceptum animæ primarium ; sed ad aliquem ex secundariis , per quos quidquid attingitur, utique attingitur tanquam adventitium , sive accidens rei præconceptæ. Sic itaque gratia actualis quæ nihil est , nisi quædam illuminatio , accedit animæ , et si secum nullam habeat realitatem singularem receptam in anima; sed solam importet mutationem sive transitionem ejusdem animæ ex statu non illu-

52. *Quæstio I. Art. IV.*

minatæ ad statum illuminatæ : transitio autem ex uno statu in aliud perinde ac transitio ex uno loco in aliud nihil reale productum superaddit rei sic transcunti, ut dicam in solutione objectionis sequentis.

48. Objicitur enim doctrinam hactenus stabilitam, eō tendere videri, ut aboleatur quidquid excogitabile est veræ ac singulæris entitatis in gratia actuali. Nam si gratia hæc actualis ex parte Dei spectata nihil est, nisi Deus qualitercumque conceptus: & similiter si spectata ex parte animæ nihil est, nisi anima qualitercumque concepta, nunquid apertissimè consequitur nullum esse verum ac singulare ens, cui competit esse, & vocari gratiam actualem? In quo temere disceditur à receptissima notione, juxta quam sentiunt ac loquuntur omnes de gratia ista actuali sub idea doni actualis à Deo provenientis in animam, eamque vi suâ supernaturali præparantis & juvantis ad operandum in ordine supernaturali. At omne donum & à donante, & à recipiente distinguitur, ut patet ex donis, quibus alii alios nutrimus, vestimus, ditamus, &c. Quia vero aliunde si gratia actualis donum est, non est nisi donum accidentale, sequitur ei non esse rationem accidentis physici scilicet supernaturalis, contaquam assertum fuit.
49. Respondeo Theologos omnes identificare realiter misericordiam v. g. cum Divinitate, imo & ipsam actionem miseriendi; neque tamen capropter censentur vel-

le abolere quidquid veræ ac singulatis entitatis habet in Deo sive misericordia, sive actio miserendi. Similiter neque desunt philosophi, qui realiter identificant cum anima intellectum, quin & ipsam intellectionem, quamvis non capropter censentur velle abolere quidquid veræ ac singularis entitatis habet in anima tum intellectus, tum intellectio. Quare neque nos censendi sumus velle abolere quidquid veræ ac singularis entitatis habet gratia actualis, sive in Deo ipsam conferente, sive in anima ipsam recipiente, quamvis eam ex parte Dei identificemus realiter cum Deo animam gratificante, id est illuminante; & eandem ex parte animæ pariter identificemus cum eadem anima gratificata, id est illuminata. Imo quotquot sunt qui aliter sentiunt, ij sunt qui veram ac singularem entitatem gratiæ actualis Divinæ abolent. dum ei affingunt fictissimam, ut probatum fuit, & ineptissimam simul ad obtainendos ab anima actus supernaturalis salutis.

Sed neque difficultatem hanc, quam geo-
obijciunt, reputarent esse alicujus mo-
menti si semel adverterent posse rem in-
trinsecè immutatam mutari extrinsecè, &
esse nunc in uno statu, nunc in alio, pe-
rinde ac esse nunc in uno loco, nunc in
alio. Unde sequitur statum Dei miserentis
aliud esse à statu Dei punientis, quam-
vis Deus sive miserens sive puniens non
sit intrinsecè alius à se ipso, & similiter
statum animæ non illuminatae esse aliud.

à statu ejusdem illuminatæ, quamvis anima sive non illuminata, sive illuminata, non sit intrinsecè alia à se ipsâ. Itaque ut ex parte Dei gratia actualis non importat, nisi novum statum Dei gratificantis, id est illuminantis; ita ex parte animæ illa eadem gratia non importat, nisi novum statum animæ gratificatæ, id est illuminatæ. Novitas autem status non est novitas rei secundum ea, quæ sunt intrinseca; sed tantummodo secundum ea, quæ sunt illi extrinseca: qualiter accidit in hoc gratiæ actualis collatæ & receptæ casu, per quem aliter se habet Deus extrinsecè activè ad animam, & aliter anima se habet extrinsecè passivè ad Deum quam se haberet sive Deus ad animam sive anima ad Deum antecedenter ad gratiam actualem hinc collatam, hinc receptam.

¶. Quod autem dicunt gratiam actualem solere ab omnibus apprehendi sub idea doni ideoque distincti & à Deo qui donat, & ab anima cui donatur; id quoad ideam verum est, sed quoad consequentiam falsum est: Quia licet dona materialia qualia sunt ciborum, vestium, nummorum, &c. realitatem habeant distinctam & separatam ab ea, quæ hinc donantibus, hinc recipientibus propria est; non sic contingere in donis actualibus intellectualibus potest, quatenus non consistunt, nisi in actualibus illuminationibus, quæ nihil sunt præter motiones intellectuales hinc activas, hinc passivas, ut jam toties dic-

tum est. Quare tantum addo donum gratiæ juxta doctrinam nostram esse quid multò ac infinitò præstantius, quam in doctrina opposita, juxta quam non est nisi entitatula quædam accidentalis expers omnis cognitionis ac virtutis: cum è contra apud nos donum illud sit vera quædam, & realis, & plurimi facienda, & omnino necessaria illuminatio animæ passiva proveniens ab illuminatione activa, quâ Deus per se ipsum animam instruit, vocat, excitat, &c. Ita quod sicut tandem Deus per se ipsum sit gloria nostra, ita per se ipsum sit gratia nostra, sibi uni reservans totum gratificandi pariter ac glorificandi officium, minimèque illud committens fragili ulli entitati, cui velit esse nos debitores nostræ salutis. Vide supra n.

23.

Objicitur etiam nullum esse inconveniens in hoc, quod Deus per interventum physici alicujus accidentis præproducti in anima præparet illam & juvet ad operandum supernaturaliter. Quia si quid obstat, id maximè, quod istud accidens cum sit expers omnis cognitionis, non possit communicare animæ cognitionem sufficientem & idoneam ad sic operandum. At id non obstat, quia sicut in instrumento artis non requiritur ulla cognitio, sed sufficit cognitio artificis applicantis illud; ita nec in instrumento salutis, quod est gratia, desiderabitur ulla cognitio; sed sufficiet cognitio Dei scientis cur, & ad

quid, & qualiter gratiam suam applicet. Tum etiam commune est apud Theologos, ut afferant signa sacramentalia divinitus elevari ad causandam physicè instrumentaliter in anima gratiam, etiam habitualem: quamvis utique careant omni prossus notitia modi, quo causari gratia possit. Itaque poterit à pari entitas, quæ est & vocatur gratia actualis, licet omnino nescia rei peragendæ, applicari à Deo animæ pro ipsa præparanda & juvanda ad operandum in ordine supernaturali: præsertim quia ad hoc non opus est nisi ut anima hanc aut illam motionem supernaturalem excipiat; nec est ulla hujusmodi motio, quam non possit Deus per interventum prædictæ entitatis perinde ac sine tali interventu operari in anima. Ergo saltem nullum est inconveniens in hoc, quod gratia actualis recepta, de qua agitur, sit accidens animæ physicum ac de genere eorum, quæ apud Aristotelicos inhærent suis subjectis, & habent realitatem ab omni realitate subjectorum suorum distinctam.

53. Respondeo & contendeo non posse cognitionem imprimi in anima, nisi ab agente cognoscitivo: quia verò non potest anima sive præparari, sive juvari ad operandum intra ordinem supernaturalem aliter, quæ n̄ per cognitiones sibi impressas ejusdem ordinis: hinc etiam contendō nullam entitatem omnis cognitionis expertem esse etiam Divinitus elevabilem ad animam

c præparandam & juvandam. Neque veritatem hanc infirmat paritas sive instrumentorum vulgatum, quæ suis operibus sufficienter applicantur per solam cognitionem, quæ in artifice est: sive instrumentorum supernaturalium, signorum scilicet Sacramentalium, quæ communiter reputantur esse instrumenta gratiæ productiva. Nam ad priorem paritatem quod attinet, statim apparet quantum claudicat, quia nullatenus requiritur, ut illa instrumenta materiam, cui applicantur, intellectualiter moveant, sed tantum localiter uti curvando, stringendo, tundendo, rotando, tergendo, &c. ad id autem præstandum habent vim suam locomotivam, quam artificis est applicare. At è contra requiritur ut anima intellectualiter moveatur, ideoque opus foret ad eam sic movendam instrumento intellectuali, id est agente cognoscitivo & inspirante quid & qualiter credendum sit, quid & qualiter sperandum, quid & qualiter amandum, ac tandem quid & qualiter committendum aut omittendum. Ad posteriorem vero paritatem quod spectat, hæc adhuc magis claudicat, quia *dato & non concessò* quod signa Sacramentalia operentur physicè instrumentaliter gratiam, non egent ad hoc cognitione ulla quâ intellectuant gratiam; sed tantum opus habent solâ suâ obedientiali potentia, quam præbeant cooperativam Divinæ manui ipsam coaplicant ad gratiam producendam. At gra-

58 *Quæstio I. Art. IV.*

tria nihil in anima operari aut cooperari potest, nisi intellectusendo illam: intellectuare autem illam non potest, nisi intellectum habuerit: quid enim est intellectuare nisi communicare intellectiōnem?

54. *Dixi dato & non concessō: quia si agitur de gratia seu actuali seu habituali à signis sacramentalibus producenda ad instar formulæ accidentalis Aristotelicæ, assertum ex dictis, tum ex dicendis eam non esse minus ab illis improductibilem quam chimæram.* Qualiter autem concurrant signa sacramentalia ad utriusque prædictæ gratiæ, non in sensu vulgari, sed in sensu veriori acceptæ productionem, non est hujus loci probare: tantum obiter dico ea non posse ad id instrumentaliter cooperari, nisi in ratione motivorum, quæ sibi Deus liberè præfixit, & à quibus, quoties debitè applicantur, voluit determinari ad gratiam conferendam. Semper enim èo redeundum est ut sentiatur gratiam, quæ tota in supernaturali quadam illuminatione consistit, produci in anima non posse, nisi per motionem supernaturalem illuminatiōnem, cuiusmodi incapax est omne accidens creatum, imo omnis quæcumque alia est creatura. Hinc vides non modò inconvenientiam, sed & chimæricitatem ejus accidentis qualisunque physici, cui tribueretur esse gratiam actualem receptam, de qua agitur.

55. *Objicitur tandem argumentum, quo Di-*

An grat. act. ex par. anima, &c. 59

Thomas probat gratiam ponere aliquid in anima scilicet aliquid distinctum ab anima, I. 2^o cui confertur. Lux ponit aliquid in illamina-quoto; sed gratia est quædam lux animæ: unde¹¹⁰ Aug. dicit in libro de natura & gratia. Prævaricatorem legis Divinæ lux deserit veritatis, quâ desertus utique fit cœcus: ergo gratia ponit aliquid in anima. Quod præterea validè confirmat in corpore ejusdem articuli, ubi inter varias gratiæ acceptiones attendit singulaciter ad eam, quâ gratia accipitur pro dilectione: ac postea discrimen, quod est inter dilectionem Dei & hominis, explicat per hoc, quod dilectio hominis supponit bonitatem in amato: at è contra dilectio Dei causat bonitatem in illo. Unde concludit. Sic igitur per hoc quod dicitur homo gratiam Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine à Deo proveniens. Istud autem quiddam supernaturale quid est, nisi supernaturale quoddam accidens physicum, cui conveniat esse lumen gratiæ & capropter distinctum ab anima quæ gratificatur; sicut lumen gloriæ ab anima glorificata distinguitur?

Respondeo D. Augustinū, cuius authoritate muniijt hoc suum argumentum D. thomas, sicut hic docet gratiam esse lucem, ita docere alibi Deum esse illam ipsam lucem his verbis supra relatis n. 13 Deus itaque per se ipsum, quia lux est, illuminat pias mentes, &c. Quare si Aug. per Augustinum exponimus hinc è contra probatur Deum

esse illam lucem, quæ est gratia; & sic gratiam nihil in anima illuminata ponere, nisi Deum illuminantem, sive inspirantem animæ quidquid ipsius interest operari in ordine ad finem supernaturalem, ad quem Deus inspirationes suas dirigit. Præterquam quod argumentum propositum nihil convincit, nisi aliunde probetur dari lucem spiritualem creatam, sicut datur lux corporea creata: at hoc ipsum in quæstione est, imo extra quæstionem est, propter prædicta quæ satis probant fictionem talis lucis spiritualis creatæ, quin & quamvis daretur, ejusdem physicae impotentiam ad effectum illuminationis supernaturalis.

- §7. Præterea non negamus gratiam causare aliquid in anima: nam revera causat id, quod est animam esse illuminatam: id autem quod est animam esse illuminatam est etiam revera quiddam supernaturale in homine à Deo proveniens, ut ait D. Thomas. Sed contendimus illud supernaturale non esse nisi statum supernaturale, in quo anima constituitur per receptam in se actionem Dei ipsam illuminantem. At Deus ad illuminandam animam non eget, nisi se ipso; uti neque anima eget nisi se ipsa ad esse illuminatam. Status autem ille animæ sic illuminatæ, licet non sit res de novo producta, apprehenditur tamen ad instantie de novo productæ, aut saltem novæ cuiusdam realis immutationis: & inde sit ut in sensu metaphysico admittamus & amplectamur

An gratia act ex parte ani. &c. 61
amplectamur tanquam verum quidquid
Theologi vulgo loquuntur ac sentiunt de
gratia actuali; sed cum bona venia loque-
mur aliter ac sentiemus de illa accepta in
sensu physico. Quia juxta leges alias Phi-
sices accuratioris quam Aristotelicæ no-
vimus non modò non gratificari seu illu-
minari posse animam a Deo independen-
ter ab omni entitate reali accidentalis pro-
ducta, cuius sit esse, & vocari gratiam
actualē; sed insuper novimus ac demons-
tramus qualēcumque hujusmodi entita-
tem realem accidentalem, esse & incapaci-
tē produci, & incapacem operari veros
effectus gratiæ actualis.

Tandem paritas luminis gratiæ cum 58.
lumine gloriæ nihil probat adversus doc-
trinam nostram, imo illam firmat: quia
adhuc multò faciliùs probaretur, si id
probare esset hujus loci non egere Deum
ad animam glorificandam adventitia ulla
entitate producta, cuius sit esse & vocari
lumen gloriæ: unde ob hanc ipsam pari-
tatem nec egebit Deus ad animam grati-
ficandam adventitia ulla entitate produc-
ta, cuius sit esse & vocari lumen gratiæ.
Imo si res propriūs attenditur, id quod est
lumen gratiæ in hac vita, evadit in alia
lumen gloriæ: quatenus Deus qui nunc
non illuminat animam, nisi quantum opus
est eam illuminati, ut ambulet coram ip-
so in fide, illuminabit eam tunc, quantum
opus erit, ut ambulet coram ipso in spe-
cie, id est ut videat tunc facie ad faciem,

quæ nunc non videt nisi in speculo & in ænigmate. Ac tandem ne hoc quod dico de lumine gratiæ adaugendo in lumen gloriæ putas sapere novitatem, vide an non id ipsum sic sentiendum proposuerit

D. Thomas his verbis. *Quia etiam secun-*

dum quod gratiæ subsequens ad gloriam per-
q. 1. itinet, non est alia numero à gratiæ prævenien-

a. 3. te, per quam nunc justificamur. Sicut enim
ad. 2. Charitas viæ non evacuatur, sed perficitur

in patria; ita etiam & de lumine gratiæ est
dicendum, quia neutrum in suâ ratione imper-
fectionem importat. Ex quibus omnibus
difficultatibus sic abunde solutis satis ite-
rum convincitur, quâm verum sit id quod
assertum est gratiam actualem receptam
non esse accidens spirituale supernaturale
physicum, quale ab Aristotelicis vulgo
admittitur, imo fingitur. Ne tamen quic-
quam desit quod asserre lucem aliquam
possit ad abolitionem similis fictionis, le-
ge adhuc sequentes duos articulos, in qui-
bus fuse hinc propugnabitur, hinc im-
pugnabitur tale accidens.



ARTICULUS V.

*AN VERIUS EXPLICETUR
quidquid spectat ad graiam ac-
tualem receptam ponendo quod
sit accidens?*

PRÆMITTO Aristotelicos ex præsup- 59
positione verâ an falsâ accidentium
materialium occasionem arripuisse
introducendi accidentia spiritualia , ita
quod ob anteceptionem philosophicam ,
quâ opinantur aquam calefieri per entita-
tem accidentalem materialem caloris , &
nivem infrigidari per entitatem acciden-
talem materialem aliquam frigoris , &c.
inducti fuerint ad pariter opinandum ani-
mam fieri virtuosam per entitatem acci-
dentalis spiritualis virtutis , & doctam
per entitatem accidentalem spiritualis
doctrinæ , &c. Ac tum & hæc eadem acci-
dencia ordinis naturalis spiritualia in or-
dinem supernaturalem transferentes vo-
luerunt animam supernaturaliter fieri fi-
delem per entitatem accidentalem super-
naturalis fidei , & sperantem per entita-
tem accidentalem supernaturalem spei , &
amantem per entitatem accidentalem su-

per naturalem p̄ amoris , &c. Quia verò istae & consimiles supernaturales entitates , secundūm quod sunt donationes gratuitæ ex Divina munificentia proficiscentes , sunt eapropter gratiæ : hinc generaliter opinati sunt omnem gratiam supernaturalēm in anima à Deo receptam , esse entitatem ordinis supernaturalis accidentalem , quæ afficiat animam , & in eadem obtineat rationem principii formalis actuum supernaturalium productivi , ad eundem modum quo in rebus materialibus concipiunt calorem sub ratione principii formalis calefactivi , frigus sub ratione principii formalis frigefactivi , &c.

60. Præmitto rursus modos exponendi res theologicas , de quibus quoad substantiam convenitur , esse merè philosophicos , siquidem evidentiam & certitudinem suam omnem , si quam habent , ex fontibus merè philosophicis emutuantes . Dixi si quam habent ; quatenus principia philosophica aut hæc aut illa secundūm quod contradicuntur , nec certa nec evidētia sunt : atque ita non potest ex illis , nisi certò & evidenter probentur , certa & evidens ulla expositio in Theologiam transferri. Unde quia non agitur hic de stabilienda gratia actuali quoad ejus existentiam , necessitatem , efficaciam , supernaturalitatem , &c. sed tantū de eadem exponenda quoad sui physicam entitatem , sequitur præsentis difficulta-

tis decisionem esse merè philosophicam.
Quod etsi satis pateat, debui tamen paucis præmittere ad continenda ingenia nonnullorum, qui non satis advertentes quidquid occurrit discriminis inter id quod est *stabilit̄ rem fidei*, & inter id quod est *exponere rem fidei stabilit̄m*, ut audiunt novam aliquam rei ad fidem spectantis expositionem, etrumpunt illicet in nescio quas suspicione ac censuras hominibus sanæ mentis indignas. Quasi vero Theologus, qui *rem fidei*, de qua quoad omnen ejus substantiam reverentissime convenit, falso exponeret, erraret eapropter in fide, & non potius tantummodo in Philosophia. Aut certè statuendum erit errare in fide, ac ferè in singulis fidei articulis sive hinc Thomistas, sive illinc Scotistas, quatenus non modò non exponunt illos unanimiter, sed omnino contradictorie: ut patet ex dissensionibus theologicis, quas nemo non novit. Unde autem dissensiones istæ proveniunt nisi ex hoc quod intra eandem sectam Aristotelicam varie ac varie philosophantur; ac utique non minus varie, quod id quod est vere aut false philosophari, quam si ex diversis sectis philosopharentur.

His itaque obiter præmissis propositi 61.
mei est conglobare in favorem theologorum, qui Aristotelicam sectam tuentur, ratiocinia potiora aut ex toto, aut ex parte hactenus intacta, quibus suaderi possit

multò verius explicatum iri quidquid ad gratiam actualem receptam spectat, ex hypothesi quod sit accidens, scilicet physicum & de genere prædicamentalium illorum, quæ apud Aristotelicos subjecta sua afficiunt & ab illis distincta sunt: sicuti proponam deinceps in articulo sequente motiva in contrarium potiora, quibus convincatur multò verius è contra exponi quidquid ad gratiam actualem receptam spectat, excludendo ab ea entitatem omnem accidentis physici Aristotelici. Et ne nimius sim, tribus ad summum hinc & inde argumentis rem meam conficiam, vel eò facilius, quod fere jam satis constat & hinc & inde quid sentiendum sit. Expedit tamen ut id magis constet, præsertim ob viam quæ paranda est doctrinæ tota quæstione secunda stabiliendæ circa gratiam habitualem, quam perinde propugnabitur non esse qualitatem, seu formam accidentalem inhærentem Aristotelicam.

ARGUMENTUM I.

ARGMENТАNTUR itaque primò sic. Animam esse actualiter supernaturaliter gratificatam idem est, ac eam esse actualiter supernaturaliter motam ad actus ordinis pariter supernaturalis: ac proinde id, per quod anima actualiter supernaturaliter gratificatur, non est nisi aliquod movens actuale supernaturale. Ut autem

dignoscatur quod & quale sit istud mo-
vens, dicunt necesse esse ut sit vel Deus
ipse, vel ens aliquod, videlicet acciden-
tale, à Deo productum, cujus sit animam
moveat eo, quo par est, motu ad illam
supernaturaliter elevandam. At tale mo-
vens non est, inquiunt, Deus ipse; & id
quidem probant: quia si de ordine super-
naturali ex notitia ordinis naturalis dis-
curritur, ut certè discurrendum est, om-
nino patet effectus formales supernatura-
les æquè pendere à formis præproductis
supernaturalibus, ac pendent à formis
præproductis naturalibus effectus forma-
les omnes naturales. Isti autem effectus
ab hujusmodi formis sic pendent, ut pen-
deant etiam insupplebiliter: quia non mo-
dò quidquid v. g. calefit, utique calefit
per calorem; sed præterea impossibile est
etiam Divinitus illud aliter calefieri,
quam per calorem: finge enim calorem
non convenire igni per aliquod instans,
an non implicat in terminis ignem pro ta-
li instanti esse calidum? Ergo sicut quid-
quid calefit, id habet ex forma naturali
præproducta & inexistente caloris: &
quidquid gravitat, id habet ex forma na-
turali præproducta & inexistente gravita-
tis, &c. ita in ordine supernaturali ani-
ma, quæ gratificatur à Deo, id habet ex
forma gratiæ ab eodem Deo præproducta
& inexistente. Et hæc proinde est forma,
ad quam spectabit afficere & moveare ani-
mam eo, quo par est, motu ad supernatu-

raliter operandum: quia verò sic afficiet & movebit eam, uti mos est accidentium mouere & afficere sua subjecta juxta omnem conditionem & exigentiam effectum ab ipsis emanantium, consequens est non posse verius explicari quidquid ad gratiam actualem receptam spectat, quam ponendo quod sit accidentis.

- 63** Respondeo Aristotelicos hinc semper in circulo, nec advertere unquam caput sui erroris, scilicet istud, quod in Physicam nescio quam malâ sorte induxerunt causas formales merè metaphysicas, seu merè abstractas, id oque nihil physicæ propriæ entitatis habentes. Itaque id totum fateor esse verum, quod ignis sit calidus per calorem, & lapis gravis per gravitatem, & paries albus per albedinem, &c. sicut & fateantur ipsis necesse est Deum esse sapientem per sapientiam, & immensum per immensitatem, & justum per justitiam, &c. imo & esse Deum per Divinitatem. Sed sicut cause istæ formales non verificantur, nisi in sensu metaphysico, aliquin Deus esset physice compositus; ita nec illæ verificantur, nisi in sensu pariter metaphysico; & hic similiter est sensus, in quo tantum verificantur animam gratificari per gratiam. Quin etiam fateor insupplebiles esse Divinitus causas hujusmodi formales metaphysicas, quandoquidem omnis forma abstracta necessariò involuitur in conceptu sui concreti unde nec possum concipere ens, quod est primum

concretum , quin concipiāt entitatem , quæ est prima forma abstracta , velut advenientem enti tanquam subjecto : at fuit ne unquam homo tam Aristotelicus , qui fixerit entitatem quæ intelligitur advenire enti , differre physicè ab ente ? Ratio tamen eadem est pro omnibus hinc concretis , hinc abstractis secum physicè indentificandis , aut physicè diversificandis abs se se invicem : ita quod si entitas non diversificatur physicè ab ente , nec physicè diversificatur ab ente substantia substantia , à subsistente subsistentia , ab existente existentia , à quanto quantitas , à qualiter qualitas , &c. Et sanè mirum est tot Philosophos potuisse tam parum attendere ad physicam rerum veritatem , ut confuderint abstracta omnia cum concretis tribuendo pariter ac parem utrisque realitatem . Quæ autem fuerit eis occasio tam turpiter peccandi in rebus physicis , puto optime conjectisse ex ea primaria entis divisione Aristotelica , quā ens dividitur in duo membra , quorum unum est quid concretum , & aliud quid abstractum : dividitur enim in substantiam & accidens ; licet dividi debuisse in ens substantans , & ens accidens , nempe ut concreti divisi membra dividentia essent concreta . Hinc autem reputaverunt substantiam esse ens reale distinctum ab ente quod substat ; & exinde substantiam esse ens reale distinctum ab ente quod subsistit : & existentiam esse ens reale distinctum ab ente quod existit ; atque ita de

omnibus alijs abstractis , quibus falso suas realitates adscripserunt distinctas à realitatibus subjectorum , quibus advenire concipiuntur. Lege art. 3. quæst. 1. operis inscripti *Accidentia profligata.*

64. Respondeo rursus non recte conciliari doctrinam hanc particularem , quæ statuitur gratiam esse accidens phisice inhæsum & distinctum ab anima , quæ gratificatur , cum illa generali , quæ tueretur concursum Dei immediatum ad omnes actus ac præsertim supernaturales causæ secundæ . Nam si Deus non concurrit cum anima ad actus supernaturales fidei , spei , &c. nisi per gratiam præproductam & inliærentem , nunquid evidens est concursum Dei ad hujusmodi actus non esse immediatum ? Aut si nihilominus immediatum esse dixerint , quia Deus non sic committit gratiæ totum negotium movendi animam , quin & ipse eam moveat simul cum gratia , nunquid etiam evidens erit , quæm inutilis sit motio proveniens à gratia , quandoquidem & hæc eadem motio esset à Deo , eadem , inquam , esset à Deo , qui tum gratiæ eam contulisset , tum simul cum gratia eam exercebat ?

65. Quamquam non negarem posse Deum ad animam movendam uti gratiâ , sicut utitur causis secundis , salvâ constantiâ concursus sui immediati , ad causandos motus aliarum ab aliis , nisi motus quo animam moveri necesse est ad actus suos supernaturales exigeret esse intellectualis simul ac

supernaturalis , cuius causandi incapax est omnis creatura non intellectiva ; imò & omnis creatura intellectiva : quandoquidem lumen intellectuale supernaturale, in cuius communicatione hinc activā , hinc passivā consistit gratia , ex hoc quod supernaturale est , excedit vim omnem omnis luminis intellectualis creati . Donec itaque probent Aristotelici entitatem illam accidentalem prædicamentalem quam vocant gratiam , posse illuminare animam , id est erudire , monere , suadere , tergere , &c. idque infinito præstantiūs , quām à quovis Angelo posset fieri . incertum erit an gratia , de qua agitur , sit entitas , qualem propugnant . Et sic nondum satis constat , ac nunquam satis constabit exponi verius quidquid spectat ad gratiam actualem receptam , ponendo quod sit accidens physicum Aristotelicum .

ARGUMENTUM II.

AR G U M E N T A N T U R secundò
in hunc modum . Gratia actualis re-66.
cepta , de qua agitur , est gratia interna ,
omninoque differens à gratiis externis ,
quas Deus animæ confert , aut removen-
do externa impedimenta salutis , videli-
cet offendicula peccandi : aut providendo
ejusdem salutis externa incentiva , qualia
sunt exempla & monita sapientum . At
non potest verius explicari qualiter gra-

tia illa sit interna , & intra animam operativa , quām si concipiatur ad instar qualitatis imbibitæ , ut sic loquar , in anima proportionaliter & conformiter ad modum , quo juxta doctrinam Aristotelicam qualitates materiales sunt , & operantur in suis subjectis : istæ enim qualitates videlicet calor , frigus , siccitas , humiditas , gravitas , levitas , asperitas , mollities , &c. sunt omnino intrinsecæ suis subjectis , quatenus non eis adhærentes tantum , sed vere inhærentes . Quidquid autem è contra excogitabitur , quod non sic inhæreat , non erit intrinsecum animæ ; atque ita non erit gratia interna actualis , de quâ sermo est .

Neque parum inhæsionis hujus veritatem probat à pari id , quod apud Theologos vulgare est de speciebus Angelicis concreatis simul cum intellectu Angelico , per eas , ipsis utique inhærentes , intellectuato : hujusmodi enim species quid aliud sunt , quām qualitates intellectuales accidentales ? ad quarum instar concipiendæ erunt gratiæ actuales , quæ veluti totidem qualitates accidentales animam intrinsece affident in ordine ad bonum supernaturale non tantummodo cognoscendum , sed etiam prosequendum per actus supernaturales fidei , spei , amoris , fortitudinis , humilitatis , castitatis , &c. Ergo propter internum istum essendi & operandi modum gratiæ actuali , de quâ agitur , convenientem , verius explicatur quid-

quid ad illam spectat ponendo quod sit
accidens.

Respondeo qualemcumque conjunc- 68.
tionem cum anima qualitatis illius acci-
dentalis, quam Adversarii gratiam vocant,
esse animæ intimam multò minus inhab-
itatione & operatione Divina; quia
Deus intimior est nobis intimo nostro.
Atque ita nihil est producibile, quod in-
timius conjunctum esse possit cum anima,
quam Deus ipse: ac præsentim quando
non solum eam movet concursu suo natu-
rali operativo, sed insuper concursu gra-
tificativo supernaturali: tunc enim sic
conjugitur cum anima, ut comparatione
factâ conjunctionis illius ordinaria cum
ista extraordinaria, dicatur ad animam
venire, quasi antea distaret, sicut legitur
joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum
servabit, & pater meus diliget eum, &
ad eum veniemus, &c.* Quare ad explican-
dam intrinsecitatem gratiæ actualis recep-
tæ opus minimè est recurrere ad qualita-
tem ullam productam animæ in hæren-
tem; quandoquidem hæc intrinsecitas mul-
tò major erit, si admittitur gratiam illa
consistere in operatione ipsa Dei ani-
mam per se ipsum illuminantis, & illu-
minando regentis, trahentis, compellen-
tis, promittentis, conminantis, &c. Imo
quod optem ut Adversarii noverint, hinc
contraquā velint convincitur Deum il-
luminare non posse animam mediante
oratio producta; quia de ratione mediæ

operativi intervenientis est, ut sit con-junctius cum subjecto, quām principium à quo ad ita interveniendum applicatur; sicut conjunctior est cum incude malleus, quām manus quæ malleo utitur ad illam percutiendam. Præterquamquod gratia illa producta non esset intellectiva, ac proinde nec esset intellectuativa, id est illuminativa: quod tamen ad gratiæ actualis receptæ notionem ac motionem requiritur, ut toties dictum est.

69. Respondeo rursus falsam esse præventionem illam philosophicam, quā reputatur dari qualitates materiales intimè penetrativas suorum subjectorum: ex hoc enim tantūm quod hujusmodi qualitates si quæ essent, materiales forent, nec penetrare subjecta sua possent, nec penetrari ab aliis accidentibus suis. Quod addo quia nulla est qualitas assignabilis, quæ non foret concipienda veluti sc̄ta multis aliis accidentibus ipsam penetrantibus: uti si assignatur calor, habebit calor iste actionem suam, passionem suam, relationem suam, ubicationē suam, quandoneitatem suam, &c. Atque ita quidquid ad probandam alpari intimam inhæsionem gratiæ actualis receptæ hic affertur, non est sufficiens motivū sed merum præjudicium. De cætero autem utquid paritatem hanc afferrunt? non enim nego, si quæ producetur entitas gratiæ actualis receptæ, eam forte penetrativam animæ, quia inter res spirituales non est perinde ac inter materiales impossibilis penetratio; sed nego

entitatem illam productam unquam fuisse, aut etiam produci posse: quatenus notio gratiae actualis receptae importat operationem ordinis supernaturalis intellectualem illuminativam, cuius est incapax omnis entitas creata, ejusmodi naturae Angelicae intelligentiam longè excederet. Quanto itaque magis ejus incapax est entitas illa fragilis accidentalis, quam Adversarii fingunt?

Tum vero circa alteram paritatem à speciebus concreatis Angelicis ductam, dicam infra quid rei physicae sint species istae, & qualiter consistant in meritis motionibus assidue & immeditate impressis Divinitus intellectui Angelico: quare tantum obiter affero species illas, si in entitatibus accidentalibus more Aristotelico factis consisterent, fore inutiles ad Angelum illuminandum, quatenus earum motio, si quæ foret, esset mere impulsiva, sed non illuminativa ob defectum intellectualis notitiae, quæ caretent. Nam si homo indoctus docere alium non potest, quanto minus potest aliquis doceri ab entitate, quæ doctrinæ omnis non tantum non est omnino expers, sed incapax? Ergo ut hinc redeam ad gratiam actualis receptam, de qua agitur, videant Adversarii, quandoquidem ad illam spectat illuminate animam, id est docere, monere, hortari, suadere, convincere, &c. quam hæc omnia aliena sint à captiuo genio inscientissimi accidentis.

ARGUMENTVM. III

71. **A**RGMENТАNTUR denique tertio sub ista forma. Ad gratiam actualem receptam, de qua agitur, spectat concedi, denegari, differri, diffundi, augeri, minui, &c. Item acceptari, respici, retineri, amitti, vincere, &c. At iste omnes & aliae consimiles, quæ non numerantur, passivæ proprietates facile concipiuntur & explicantur posendo quod gratia prædicta sit accidens physicum spirituale supernaturale Aristotelico de more intellectum, & distinctum ab anima, in qua recipitur. *Quis enim non statim concipit qualiter spectet ad tale accidens concedi, denegari, differri, diffundi, augeri, minui, &c. ad arbitrium Divinæ voluntatis: item acceptari, respici, retineri, amitti, vincere, &c. ad arbitrium voluntatis nostræ?* Tum è contra quis dixerit attributa hæc passiva enumerata, & alia consimiliter enumerabilia convenire sive Deo, sive animæ conjunctim aut scorsim spectatis? Cum itaque assignandum sit subjectum, cui attributa illa convenient, et in promptu occurrat accidens, quale ab Aristotelicis Theologis proponitur, consequens est tali accidenti convenire id, quod est esse gratiam actualem receptam: ac proinde etiam conveniens, imo necesse est, ut per illud, quidquid ad istam attinet, explicetur.

Respondeo & oppono proprietatibus
passivis gratiæ actualis receptæ enumeratis 72.
proprietates ejusdem gratiæ activas, quales
sunt illuminandi supernaturaliter, vocandi,
excitandi, trahendi, hortandi, consulendi,
promittendi, comminandi, &c. istas autem
proprietates neque convenire, neque con-
venire posse entitati ulli accidentalí pro-
ductæ jam sèpius probatū est. Cumque ni-
hilominus necesse sit, ut uni & eidē subjecto
conveniant utraque hæc proprietatum pas-
sivarum & activarum genera ad notionem
gratiæ, de qua agitur, spectantia; hinc sus-
picati licet subjectum accidentale, quod
Adversarii proponunt tanquam muliū
connaturale proprietatibus passivis, quas
enumerant, non esse id verum ac physi-
cum, in quo gratia actualis recepta, & adæ-
quate spectata consilit. Quamquam nec
admitto proprietates illas passivas conve-
nire enti accidentalí quod suggerunt pro
constituenda per illud gratia actuali recep-
ta: nam quomodo enti illi conveniet con-
cedi, denegari, differri, diffundi, ange-
ri, minui, &c cui neque hoc unum ad cæ-
tera omnia præsupponendum convenit,
quod est produci, aut etiam posse produci,
imo etsi produceretur, vel posset produci,
seligo hoc attributum, quod est, vinci, &
contendo istud ei non convenire: vellem
enim audire à Theologo Aristotelico
quid rei physicæ sit gratiam vinci: estne
illam ex parte, destrui? Sed ens spiritua-
le productum non sic ex parte destruitur,

quia nec partes habet, ex quibus coalescat. Estne destrui ex toto? Sed hoc effet annihilari: nec tamen annihilare, ut puto, potest anima ens à Deo creatum. Quid autem rei physicæ sit apud nos gratiam vinci, ac simul quid rei physicæ sint cætera omnia gratiæ Divinæ actualis attributa tum activa, tum passiva, ex mox dicendis colligi poterit præter hæc tenus dicta, quæ ad id colligendum sufficerent.

73. Respondeo rursus plurima esse attributa tum activa, tum passiva, quæ cuivis rei sub uno conceptu & eidem sub altero conceptu non convenient. Unde accidit propositiones etiam contradictorias de una & eadem re physicè indivisibili per varios conceptus metaphysicè divisa verificari. Hinc de anima verificatur quod sit libera, prout volens: & quod non sit libera prout intelligens: & similiiter de Deo verificatur quod parcat, prout misericors; & quod non parcat, prout justus. Hinc etiam fit ut alia sint attributa animæ, & alia actionis ejusdem animæ: sicut alia sunt attributa Divinitatis, & alia Divinæ actionis. Quia verò hæc tenus probatum est gratiam actualem consistere illine in actione illuminante Divina, hinc in impressione per Divinam illuminationem causata in finu magis intimo animæ, tantum superest ad solutionem absolutam argumenti propositi, ut inquiratur an attributa illa gratiæ enumerata, &

alia multò plura enumerabilia , et si neque Deo , neque animæ convenient quoad suas substantias seorsim aut conjunctim spectatis , convenient nihilominus actionibus illuminativis Divinis , & impressionibus per hujusmodi actiones in anima causatis , ad quas consequuntur aut non consequuntur actus supernaturales , pro quibus eliciendis anima per prædictas actiones illuminatiyas movetur . Id autem si inquiritur , quis non statim advertit qualiter illuminationibus Divinis verè competit concedi , denegari , differri , diffundi , augeri , minui , &c. & similiter acceptari , respui , retineri , amitti , vinci , &c. Habent enim istæ illuminationes ex parte Dei rationem doni mere gratuiti , ideoque concedendi aut denegandi , &c. ad arbitrium Divinum : sicut etiam ex parte animæ pariter habent rationem doni libere admittendi , ideoque acceptandi aut respuendi , &c. ad arbitrium nostrum . Et sic quidem pro attributis gratiæ passivis ; ad activa autem quod spectat , qualia sunt vocandi , trahendi , inclinandi , hortandi , consulendi , &c. multò citius adhuc advertitur , qualiter prædictis illuminationibus Divinis convenient . Et sic patet non verius explicari quidquid ad gratiam actualem receptam spectat , ponendo quod sit accidens in Aristotelico sensu acceptum : imo id totum verius explicatur , ponen-

do quod non sit tale accidens , ut in articulo sequente probabitur.



ARTICULUS VI

*AN E' CONTRA VERIUS
explicetur quidquid spectat ad
gratiam actualem receptam po-
nendo quod non sit accidens ?*

74. **P**RÆNOTABO plurimas esse qualitates gratiæ actuali Divinæ tribui solitas , nam præterquamquod ei passim adaptatur in sacris bibliis esse lucem , de qua scriptum est *lux orta est iuste*, in iisdem Psal. non infreque[n]ter ei tribuitur esse & so-
99. Cant. num , de quo legitur. *Sonet vox tua in*
2. *auribus meis* ; & odorem , quem expri-
Cant munt hæc verba. *Curremus in odorem*
1. *unguentorum tuorum* ; & saporem pro cuius
Sap. extollendis deliciis Sapiens exclamabat.
12. *O quam bonus & suavis est Domine spiri-*
ritus tuus in omnibus : quia etiam & calo-
rem igneum qui corda inflamat ; & fluo-
rem cælestem qui illa irrigat ; & the-
saurum qui nos ditat ; & cibum qui satiat ,
& vinum quod lætificat ; & vestem quæ
ornat : & clypeum qui protegit ; & tur-
rem quæ cingit ; & arborem quæ vivi-

ficat, &c. Neque tamen puto cuiquam venisse unquam in mentem admittere sonos ordinis supernaturalis & spiritualis productos, aut odores, aut sapores, aut ardores, aut fluores, aut thesauros, aut cibos, aut potus, aut vestes, aut clypeos, aut turres, aut arbores, &c. Quare pariter alienum est ab omni rationali judicio admittere lucees spirituales & supernaturales productas. Ratio enim pro omnibus praemissis qualitatibus Divinæ gratiæ aut admittendis, aut excludendis quoad id, quod est *producere* eadem est: ita quod si potest bonus odor gratiæ non esse productus, possit etiam non esse productus *eximius* lucor ejusdem gratiæ: quo pacto explicari poterit quidquid pertinet ad omnia actualis Divinæ gratiæ attributa absque recursu ad ullas entitates seu qualitates ordinis spiritualis supernaturalis accidentales productas.

Prænotabo rursùs sensationes corporeas 75.
non habere pro suis causis effectricibus, nisi actiones *aut immediatas*, *aut mediatas* objectorum sensibilium receptas in suis respective subjectis, sive principiis sensitivis. Et ratio evidens est, quia objecta sensitilia, quæ nihil agerent in principiis sensitivis, nullatenus illa mutarent, & sic nullam in illis sensationem efficerent: atque ita necesse est ut illa attingant per actiones suas, quæ sint sensationum omnium effectrices. Dixi *aut immediatas*, *aut mediatas*. Et ideo dixi, quia objecta sensi-

bilia alia sunt quæ immediate afficiunt & actuant potentiam sensitivam , qualia sunt objecta sensibilia merè tactilia : & alia sunt quæ illam nec afficiunt nec actuant nisi mediate , qualia sunt objecta sensibilia visibilia quæ potentiam visivam non attingunt nisi per interventum luminis : & odorabilia quæ non attingunt potentiam olfactivam nisi per interfluxum halitus odorosi : & gustabilia quæ non attingunt gustum , nisi per interjectionem sui salis : & audibilia quæ non attingunt aurem nisi per intercursionem æris collisi & undulatim propagati. Hinc si à sensationibus corporeis ad sensationes intellectuales assurgimus , facile comperiemus istas pariter ex toto pendere ab actionibus aut immediatis , aut mediatis , per quas objecta intelligibilia attingunt potentiam intellectivam. Hujusmodi autem actiones sunt vel ordinis naturalis , vel ordinis supernaturalis ; & sic intellectum nostrum actuant in alterutro ordine. Unde sequitur omnes actus nostros intelligendi , credendi , sperandi , amandi , &c. supernaturales pédere ab actione prævia divina supernaturali , quæ animam afficiat , eique representet quæcumque sunt intelligenda , credenda , speranda , amanda , &c. Et hæc actio proinde est illuminativa , quam de cætero vocare licet speciem supernaturalem intelligibilem , sicut actiones objectorum sensibilium naturalium sunt species illorum sensibiles naturales.

Prænotabo tandem ad omnem actionem 76.
objecti intelligibilis receptam in principio
intellectivo subsequi impressionem relic-
tam in hoc eodem principio. Et ratio est,
quia omnis actio est impressio activa, cui
non potest non correspondere impressio
passiva, id est impressio recepta, qualem
ut in quibusdam corporibus factam per
actiones aliorum corporum sensus disser-
nit, impressionem v. g. à sigillo factam
in cera; ita intellectus clare dijudicat
consimilem quandam & analogicam fieri
in principiis omnibus sensitivis, quin
etiam intellectivis per actiones suorum
respective objectorum. Vide supra n. 33.
Atque ita, ut ad rem nostram profit hoc
prænotatum, quoties Deus actione sua
animam attingit, efficit in ea impressio-
nem, quæ utique intelligibilis est & oc-
casionem animæ præbet cognoscendi
quid Deus per eam velit ab ipsa fieri,
quid jubeat, quid consulat, quid pro-
mittat, quid comminetur, &c. sicuti
bene quis novit quid velit aliis secum
loquens, quid jubeat, quid consulat,
&c. bene, inquam, id novit per solam
impressionem, quæ facta in sensu audi-
tus transmittitur exinde in sensum com-
munem, & ex sensu communi in ani-
mam. Tum vero quia impressio quæ sit
per unicam transitoriam actionem facile
evanescit; & è contra perdurat si itera-
tur per actiones plures ejusdem generis
repetitas, hinc pendet quidquid est dis-

criminis inter impressiones actuales seu
transentes, & habituales seu permanentes
cujuscumque sint ordinis sive materialis,
sive spiritualis; sive naturalis, sive su-
pernaturalis.

77. His prænotatis repeto exemplum im-
pressionis factæ in cera à sigillo: & ad-
vertio quām parum doctè de sigillatione
ista cogitaret qui reputaret eam esse en-
titatem realem accidentalem productam,
& distinctam à cera sic sigillata. Nam
quid rei physicæ est ista sigillatio, nisi
nova quædam localis positio partium,
quas accessio sigilli hinc extulit, hinc de-
pressit, hinc rescidit, hinc rotundavit,
hinc acuminavit, &c. prout feret deli-
nationis varietas sigillo insculpta? Hæc
autem nova localis positio partium non
importat, nisi novitatem localem par-
tium existentium in locis præexistenti-
bus: neque enim sigillum sive partes ce-
ræ ullas, sive loca ceræ ulla produxit;
atque ita nulla est novitas ullius rei in
sigillatione, de qua agitur; sed sola quæ-
dam adeat novitas status localis. Et id
quidem ita evidens per se est, ut licet in
rigore doctrinæ Aristotelicæ contenden-
dum sit novam figuram ex uovitate posi-
tionis illius localis exurgentem, esse rem
novam; nihilominus pauci admodum
superfunt Aristotelici, qui affirmare hoc
audent, veritate scilicet paulatim præ-
valente, in scholis errori nugatum acci-
dentalium. Hinc autem si segne admitti-

tur novas impressiones corporeas non esse novas realitates productas in suis subjectis & ab illis distinctas , quanto consultius id admittendum erit pro novis impressionibus subjectorum intellectuum , quæ quo simpliciora sunt , eò magis compositionem omnem refugiunt . Neque plura addam ut properem ad argumenta tria , quæ promisi , probatura qualiter è contra verius explicetur quidquid spectat ad gratiam actualem receptam ponendo quod non sit accidens , videlicet physicum Aristotelicum , de quo tota est difficultas .

ARGUMENTUM I.

AR G U M E N T O R *primò. Productio* 78.
entitatis illius accidentalis , per quam explicandum occurret quidquid spectat ad gratiam Divinam actualem receptam , secum importat confusionem maximam entitatum accidentalium in illa comprehensarum , ac forsitan innumeralibum . Igitur non est idonea productio hujuscemodi entitatis pro exponendis mysteriis & operationibus gratiæ Divinæ actualis receptæ . Cujus consequentiæ veritas satis patet , quia ex tenebris principii confusi non potest erui claritas , quæ ad quemcunque effectum explicandum sufficiat . Et ideo morabor in sola probatione propositionis antecedentis ostendendo entitatem illam , quæ pro-

duceretur , componendam fore ex plurimis aliis entitatibus , sive sui qualitatibus : esset enim supernaturalis , esset potens , esset activa , sufficiens , efficax , pulchra , intensa , relata , &c. obtineret etiam suum ubi , suum sicutum , suum quando , suum habere . Vide quod accidentia in uno accidente . Verum hæc quam pauca sunt , si cū innumerabilibus aliis comparentur , quibus fœta sunt singula , quæ numeravi ! Nam neque actio v. g. quæ est accidentis prædicti accidentis careret aliis sui accidentibus , sui videlicet qualitatibus , ut esse victricem aut victam ; esse transitoriam aut diuturnam ; esse hinc aut illic ; esse hodie aut cras ; esse circumstantiis aut in his aut in illis exercitam : sicut insuper ex istis varietatibus accidentalibus nulla est quæ non subjaceat multis aliis . Et hæc quidem omnia accidentia accidentium in uno illo prædicto accidente cogitabilem verè ac physicè inhærebunt illi ; verum ac physicum obtinebunt disciimen & ab illo & abs se invicem , si illud verè ac physicè inhæret animæ , & ab eadem discernitur verè ac physicè , ut adversarii reputant . Nam quisquis hoc totum bene advertit , illico judicat aut nullius esse singularis physicæ entitatis prima , ut ita loquar , prædicamentalia accidentia , aut suam secum pariter singularem physicam entitatem obtinere accidentia prædicamentalia secunda ac tertia , &c. id est ad illorum

secundas ac tertias &c. divisiones, & ad istarum divisionum subdivisiones spectantia. Ergo, ut ajebam, productio entitatis illius accidentalis, per quam adversariis explicandum incumberet quidquid spectat ad gratiam Divinam actualem receptam, secum importat maximam confusionem entitatum accidentalium, ac forsitan innumerabilium in ipsa comprehensarum. Unde intuli quam parum sit ad id, de quo agitur, explicandum idonea; & inferre potui quam multum sit chimærica.

Neque repetam quod prænotavi in 79.
numeris esse prærogativas, quæ gratiæ Divinæ actuali receptæ passim tribuuntur, & exprimi solent per conceptus allegoricos lucis, soni, odoris, saporis, ardoris, fluoris, thesauri, cibi, potus, vestis, clypei, turris, arboris vivificæ, &c. Ad hujusmodi autem prærogativas omnes exponendas si necesse fuerit afferre totidem productiones formularum accidentalium, quibus à Deo committatur seorsim aut conjunctim tot effectus præstare, nemo non videt quam numerosior ac proinde etiam incredibilior evadat multiplicitas accidentium producentorum & implantandorum, ut ita loquar, in ea entitate accidentalí præproducta, cui tribuunt esse & vocari gratiam actualem, de qua est sermo. Quin etiam nemo, tantum non infeliciter præventus, hinc non inferet quam multò expeditius

ac distinctius sit omnes hactenus enumeratos & enumerabiles gratiæ Divinæ actualis effectus referre ad unitatem simplicissimam, quæ virtualiter multiplicissima est, Divinæ illuminationis, cui utique satis est evidens convenire quidquid virium & operationum cogitari potest in entitate illa accidentalí, quam vocant gratiam, quantumcunque multipliciter informatâ per entitates alias accidentales, quibus fœta concipiatur. Atque ita multò faciliùs, multòque verius explicabitur quidquid spectat ad gratiam, de qua agitur, ponendo quod non sit accidens tale Aristotelicum, quale in scholis vulgo admittitur.

30. Fortè tamen non deerunt qui, nolentes convinci, opponant melius explicatum iri mysteria omnia ac ministeria gratiæ actualis admittendo in ea protidem ejus prærogativis & operationibus, totidem entitates formales accidentales, quām confundendo illas omnes in unica entitate formalí accidentalí quoque modo explicata. Sic enim hactenus Philosophi ne rerum naturas confunderent multiplicaverunt causas formales pro multiplicitate effectuum; hinc in igne v. g. præter vim primariam igniendi, admittunt vires secundarias multas calefaciendi, exsiccandi, liquefaciendi, levitandi, &c. Quin & similiter in anima præter vim præcipuam ratiocinandi admittunt seorsim vires alias

apprehendendi, judicandi, amandi, memorandi, &c. Neque aliunde ratio ulla est, quæ cogat ut parcatur multititudini hujuscemodi entitatum formalium, quas entitas gratiæ secum importaret & comprehendenderet: nam Deo omnipotenti, cuius est conferre gratiam, perinde & æque in promptu est multas ac paucas hujus aut illius generis entitätes producere. Imo si de imminuendo Omnipotentiæ Diviæ conatu ageretur, immimeretur utique iste conatus per multiplicem hujusmodi productionem: quia multò mirabilius potentiusque est, quod multi effectus ab unica, quam quod à multiplici causa pendeant; idque ad eum modum, quo præcelleret unitas instrumenti ad opera plurima diversarum artium sufficientis numero culibet instrumentorum, quorum singula singulis operibus fabricandis essent tantum speciatim idonea. Igitur nullum inconveniens est in hoc, quod Deus gratiam, id est entitatem illam formalem accidentalem, quæ est gratia juxta communem Theologorum Aristotelicorum sententiam, facundet, impleatque variis formulis subalternis accidentalibus pro variis tum passivis, tum activis effectibus, quos ei necesse est esse attributos.

Sed fragilis erit hæc oppositio: quia 81.
præter vulgarem præventionem philosophicam Aristotelicam nihil assert, quo probetur talium formarū aut formulatum

spiritualium ac supernaturalium, de quibus hic agitur, vel mera possiblitas, quam multa ratiocinia nostra demonstrant esse ita chimæricam, ut conserere plures formulas accidentales in una illa forma accidentaliter, quam vocant gratiam, nihil aliud sit, quam iufercire chimæram unam multis chimærulis. De cætero quod spectat ad exemplum adductum ignis, inane est illud quod divendant discrimen inter vim calefaciendi, exsiccandi, liquefaciendi levitandi, &c. quia una & eadem vis iguiendi vires illas omnes secum ipsa habet indistinctissimas; multoque magis una vis ratiocinandi in anima secum habet nullo reali discrimine sejunctas vires apprehendendi, judicandi, amandi, sperandi, memorandi, &c. Quod autem dicunt non esse parcendum multitudini formularum accidentalium inserendarum formæ accidentaliter, quam vocant gratiam, quasi non perinde Deo sit & æque in promptu inserere illi multas ac paucas, gratis dicunt; quia gratis rursus supponunt & hujus & illarum productionem nedum possibilem, sed actualem: unde nihil juvat quod sic immisueretur omnipotentiæ Divinæ conatus, quia res improductibiles ad omnipotentiam Divinam non spectant. Denique vires tum activæ tum passivæ omnes ejus gratiæ, de qua sermo est, sufficienter competiuntur, eæque indistinctissimæ, in unica vi unius illuminatio-

An è contra verius expl. &c. 91
nis supernaturalis Divinæ , ut sæpius
dictum est ; & sic superfluum est quid-
quid Theologi Aristotelici congerunt de
suis illis formis aut formulis acciden-
talibus tanquam gratiæ actualis Divinæ
constitutivis.

ARGUMENTUM II.

AR G U M E N T O R secundò. Si 82.
quæ est ratio idonea , propter
quam admitti debeat gratiam actualem
esse accidens productum , hæc una esse
videtur , quod non possit nisi tali cui-
dam entitati accidentalì productæ , &
in varias species divisibili convenire
vis productiva totuplicium effectuum
supernaturalium , qui ex gratia actuali
pendent. Namque si possunt omnes isti
effectus derivari aliunde quam ex enti-
tate illa multiplici ac multipliciter pro-
ducta , lex generalis philosophica , quæ
vetat fieri per plura quidquid per pau-
ciora potest fieri , entitatis illius pro-
ductionem , siquidem superfluam , repu-
diabit. At ecce modum , quo tota illa
effectuum supernaturalium varietas de-
rivatur ab actione improducta Divinæ
eujusdam illuminationis : ecce , inquam ,
modum illum clare exemplificatum in
actione solari pariter improducta , ad
cujus perseverantiam & efficaciam refe-
renda est accepta omnis diversitas effec-
tuum naturalium. Ad illam enim ac-

tionem spectat tum omnis mixtio, tum omnis vivificatio rerum istarum sublunarium; ita quod absque concursu operativo ac cooperativo illius nec mineralia, nec metalla ulla in suis fodinis concrecerent, nec germinarent plantæ ullæ, nec animalia ulla spirarent, putreficerent aquæ, sterilescerent aggeres, & omnis, ut ita loquar, Natura emoretur; quia frustraretur suâ communi animatione, quæ est actio solis, ea videlicet illuminativa, quæ simul ut tenebras abigit, calefacit quæ rigescerent frigore, exsiccat quæ suffocarentur humore, irrorat quæ arescerent, auget, rarefacit, densat, coagulat, dissolvit, tergit, miscet, ac tandem disponit, componit omnia, quæ varietatem omnem viventis, ac non viventis temperamenti efficiunt. Et hæc tamen actio solis una est, ut dixi, quæ varia evadit in variis suis effectibus, prout varie ac varie recipitur lux, in cuius effusione participata consistit.

83. Quod si ea lucis solaris actio spectetur etiam præcise prout est actio illuminandi, non carebit nihilominus incredibili varietate quadam effectuum, quos observare licet in repræsentationibus tot colorum, tot motuum, tot distantiarum, tot magnitudinum, tot similitudinum, tot denique statuum ac figuratum; unde pendet omnis nostra tranquillitas, omnis suavitas, omnis

societas vitæ. Et tamen hæc omnia operatur lux eâ solâ & unicâ actione seu motione, quâ oculos ferit, & feriendo efficit, ut non tantummodo videamus quæcumque visibilia sunt; sed etiam ut quæ invisibilia sunt ex aliis visis conjiciamus, uti bonas, ac malas voluntates, beneficas aut maleficas cogitationes hominum, qui nobiscum conversantur; præter subsidium quo adjuti ambulamus caute in via salutis nostræ corporalis vitando insidias hostium, seligendo convenientias alimenterum, præveniendo motbos, applicando remedia, & ea generatim omnia præstanto, quæ incolumitati nostræ sint satis.

Hinc si argumentari licet, prout re- 84.
vera licet, à pari, non erit arduum ut deprehendatur qualiter ab una & eadem actione illuminativa Divina, quæ est veluti quædam supernaturalis animatio animæ nostræ, pendeant quotquot ac quæcumque sunt effectuum supernaturalium genera. Nam quomodo non caute ambulabimus in fide, in spe, in charitate, in justitia, in castitate ac tandem in via omnis virtutis, si attendimus ad supernaturalem lucem illam actionis Divinæ illuminativæ? Præsertim quia lux illa lucet simul, & ardet, & sonat, & sapit, & monet & præcipit, & minatur, & protegit, &c. & tandem omnia compleat officia intimi sapientissimi simul ac

benevolentissimi pædagogi sic se gerentis, ut omnis spiritualis supernaturalis vitæ nostræ gressus regat & corrigit. Atque ut ei nihil deforet externi adjutoriū, ad vitam suam recte componendam, cui semper assisteret Angelus præcavens & monens quidquid in singulis rerum & temporum circumstantiis expediret fieri vel omitti; sic nec quicquam interni adjutoriū deest animæ, cui adest lux illa Divina vim habens vocis, ejusque tam intime, quam alte intonantis, monentis, præcipientis, consulentis, comminantis, & omni meliori modo repræsentantis, quæcunque, & qualiter sunt agenda aut omittenda. Hoc totum bene noverat D. Paulus quām fideles commendabat *Deo*, & verbo gratiæ ipsius: ait. est enim vere gratia actualis Divina, Apost qualiter eam hucusque explicuimus, c. 20. verbum quasi ore Divino prolatum, quo in vita spirituali gignimur, & providemur in omnibus utilitatibus & necessitatibus talis vitæ, sicut alibi scriptum est. *Jac.* Voluntarie enim genuit nos verbo c. 1. veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Atque ita pro explicandis actuūm supernaturalium nostrorum ministeriis falsò & otiose recurreretur ad entitates ullas accidentales productas, ubi in promptu adest & sufficit verbum illud veritatis seu gratiæ improductum, quod est prolatio supernaturalis & intima vocis Divinæ, seu quod idem est

illuminatio Dei vocantis, prævenientis, juvantis nos omni meliori modo ad sanctitatem vitæ supernaturalis sectandam.

Neque audiendus erit qui exinde arguet, quidquid de illuminatione Divina ad explanandas gratiæ actualis vires & operationes hactenus dictum est, id non exceedere vires & operationes concussum cuiusdam supernaturalis moralis, quatenus id præcise quod est illuminare, sive per illuminationem communicatam suadere,hortati, præcipere, comminari, &c. nihil est nisi præventio quædam moralis, per quam nihil physice influitur in actus nostræ voluntatis: ut patet à pari ex suasionibus, cohortationibus, præceptionibus, comminationibus, &c. humanis, quibus viri docti hactenus non adscriperunt vim physice efficacem, qualem utique adscribunt gratiæ, utpote causanti physice in nobis & velle & perficere. Atque ita si supponitur gratiam actualem, de qua agitur, vires habere hinc morales, hinc physicas, quibus præparati & adjuvari debeat voluntas humana ad supernaturaliter operandum, illas quidem satis explicuimus; at istas longe aliter explicari necesse est per physicam impulsione, quâ voluntas physice inclinetur ad actus suæ salutis: hæc autem impulsio physica pertinebit ad entitatem in hunc finem sic physice impellendi à

Deo productam & animæ insitam. Igitur gratia actualis saltem hac ex parte erit accidentis quoddam physicum à Deo productum, ac deinceps physice productivum totius actuum supernaturalium entitatis per physicam illius efficientiam & impulsionem causatæ.

36. Non, inquam, audiendus erit: quia aut male fallor, aut non minus physica est actualis Divina illuminatio supernaturalis animam invadens, quam illuminatio v. g. solaris oculum corporalem afficiens; quid enim habet illuminatione ista nisi realem ac nullatenus fictam motionem, quam neque minus realem, neque minus ab omni fictione alienam novi esse in altera, imo realiter intimorem simul ac vividorem esse obtestor. Quapropter quidquid de illuminatione supernaturali, quâ Deus animam vocat, excitat, impellit, inclinat, arguit, &c. dictum est, id vera pertinet ad physicam præventionem & concomitantiam Divinæ gratiæ: sicut patiter reproto nihil non esse physicum in iis omnibus actionibus sive motionibus, quibus homines sese mutuo præparant ac juvant ad actus istos aut illos voluntarios suadendo, cohortando, præcipiendo, comminando, &c. prolationes enim verborum, aut indicaciones gestuum ad id inservientium motiones reales sunt, nec minus reales sunt impressiones, quæ per hujusmodi verba

verba & gestus transmittuntur ex sensibus externis ad internos , & per istos in animam. Igitur gratia actualis , quallem admittimus & qualiter explicamus, physice comitatur actus nostros , physice etiam illos prævenit , sed non physice prædeterminat. Imo neque physice determinat : cum longe aliud sit præmovere physice , id est præilluminare , quæ est sola præmotio quam admittimus , & aliud physice prædeterminare aut etiam determinare : præilluminare enim nihil aliud est quam appositis v. g. aqua & igne & necessariis utriusque præcognitionibus, optionem relinquere ad apponendam manum alterutri; at prædeterminate omnino aliud sonat , quia idem sonat ac optionem non relinquere , sed applicare manum alterutri , efficiendo ut manus tua non alterutri quod tu volueris , sed alterutri quod Deus voluerit , applicetur. Et nihilominus scriptum est *Apposuit tibi aquam & ignem , ad quod volueris porrige manum tuam.* Quia tamen præluminatio sive præmotio physica Divina non est sic indifferenter ad alterutrum , ut non magis urgeamur ad alterutrum è duobus , in hoc sensu præmotionem physicam , quam admittimus , voca si volueris prædeterminationem. Verùm hæc prædeterminatione erit moralis , præmotio autem erit physica.

Atque ne velut in transitu difficultas hæc , quæ tam prolixæ & cum bona

venia tam confuse agitatur inscholis Aristotelicis Philosophicis & Theologicis, proposita videatur potius quam soluta, addo id quod est animam determinare se ad alterutrum è duobus sufficienter propositis, nihil aliud esse, quam consentire aut dissentire in alterutrum: & hoc proprie ac solius voluntatis est quia actus consentiendi aut dissentiendi est actus omnino noster. Neque enim potest fingi ullus actus Divinus sive consentiendi sive dissentiendi; quia revera ad Deum non spectat consentire aut dissentire, sed præefficere & coëfficere per illuminationem nobis subministratam, ut clare & delectabiliter agnoscamus & utrumque, & præcertim alterutrum illud, quod nostrâ interest consensu aut dissensu nostro vel amplecti, vel aversari. Itaque in hoc quod est præcise consentire aut dissentire nihil est quod non sit omnino nostrum; alioquin actus consentiendi aut dissentiendi esset ex parte passiuus, quod in terminis repugnat. Nihilominus non omnino à nobis est, sed multò magis à Deo, qui præilluminatione sua efficit, quantum in se est, ut illum eliciamus. Quo pacto D. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum episcopum Mediolanensem q. 20. optime monet velle illud nostrum, quod est consentire aut dissentire, non sic esse nostrum, quin etiam sit Dei procurantiss illud sive præefficientis & coëfficien-

tis illud per suam præilluminationem & ejusdem præilluminationis concessionem continuatam. Ut velimus, inquit, & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo: quod idem est ac si dixisset, suum illuminando, nostrum consentiendo. Igitur id præcise quod est consentire, nostrum est: sicut id quod est nos illuminari ad consentiendum, Dei est; sed quia consensus sic ab illuminatione pendet, ut eā seclusā non poneretur, imo ut vi ejus ponatur, ideo referendus omnino est acceptus Deo, atque ita ex toto gratiæ imputandus juxta illud Chrysostomi hom. 38. super epistolam primam D. pauli ad Corinthis. *Totum gratiæ imputemus.* Quid ultra vult Adversarius?

Scio quid velit. Vult haud dubie intel- 88.
lectum esse realiter distinctum à voluntate: vult voluntatem esse potentiam cæcam: vult actum liberum voluntatis esse rem à voluntate distinctam: atque ita non pertinere ad voluntatem quod illuminetur, & sic admitti debere aliud motionis genus, quod physicè producat actum voluntatis, quia iste actus est res, quæ produci nisi à Deo operante & cooperante non potest. Verum si voluntas est potentia cæca distincta realiter ab intellectu, & ex hoc arguitur non transmitti in voluntatem ex intellectu Divinam illuminationem, dicat quid rei physicæ sit illa alia motio, quæ voluntas impelli debeat ad actum suum: ego enim

præter illuminationem, non aliam novi. Sed esto alia sit: hec, inquiet, erit productiva actus liberi. At si iste actus ab illa producitur; aut ex toto ab illa producitur, & sic voluntas nihil agit; aut non producitur nisi ex parte, & sic iste actus quoad alteram partem erit totus à voluntate, qualiter autem illum elicit? an sciens, an nesciens? si nesciens, ergo fertur in incognitum, quod repugnat: si sciens, ergo non est cœca. Depone igitur hec tua præjudicia philosophica de discriminé reali voluntatis ab intellectu, de cœcitate voluntatis, de realitate producta actus liberi; & omnia plaga sunt: namque illicò capies unam & indivisibilēm esse naturam animæ, quæ illuminatur & illuminata dirigitur, & directa inclinatur ad ineundam bonam viam sui consensus aut dissensus, quem utique hec eadem illuminatio prævenit, & comitatur & subsequitur postoperatura perficere, sicut præoperata est velle. Hoc itaque modo tolluntur omnes ambages, quæ quoad retinebuntur in schola, eam continuo cruciabunt: neque plura adenucleationem propositæ difficultatis jam solito fusiùs solutæ adjiciam.

ARGUMENTUM III.

89. **A**RGMENTO R denique tertid.
Omnis illuminatio Divina impressa animæ terminatur ad impressionem.

An è contra verius expl. &c. 101
passivam ejusdem animæ, id est ad im-
pressionem in anima receptam, ut expli-
cui inter prænotata hujus articuli n. 76.
At per istam impressionem receptam,
quam ibidem ostensum est à paritate qua-
dam cereæ impressionis non esse entita-
tem productam, optimè explicantur om-
nes effectus gratiæ actualis receptæ, de
qua agitur: ac præsertim duo primatii,
ex quibus cæteri omnes pendent, scilicet
notitia, quâ anima dirigitur in agendis,
& *delectatio*, quæ ad hæc eademi agenda
illam pertrahit. Hi autem meritò vocan-
tur duo primarii effectus gratiæ actualis,
quia ut optimè discutit D. Augustinus
lib. 2. de peccatorum meritis cap. 17. ali-
bi relatus. Nolunt homines facere quod
justum est, sive quia latet an justum sit, sive
quia non delectat: tanti enim quidque ve-
bementius volumus, quanto certius, quâm
bonum sit novimus, eoque delectamur arden-
tius. Ignorantia igitur & infirmitas vicia
sunt, quæ impediunt voluntatem ne movea-
tur ad faciendum opus bonum, vel ab opere
malo abstinendum. Ut autem innoescat quod
latebat, & suave fiat quod non delectabat,
gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat vo-
luntas. Nunc itaque quod ad prædic-
tam notitiam spectat, evidens est quali-
ter contineatur in impressione, quam in
anima efficit Divina illuminatio; quia
hæc ipsa impressio est impressio notitiæ
spiritualis intellectualis, sicut impressio
quam lux efficit in oculo, est impressio

notitiæ seu visionis corporeæ. Et simili-
ter quod spectat ad prædictam delecta-
tionem , non est minus evidens qualiter
eam causet illa eadem impressio : quia
omnis impressio motio est , quæ rei mo-
tæ aut convenit , aut disconvenit. Si dis-
convenit , est insuavis ; sed si convenit :
prout hæc animæ convenit , est suavis ,
idque rursus ad eum modum , quo motio
lucis solaris , scilicet moderata & pro-
portionata temperamento oculi , est ocu-
lo suavis & eum delectat. Ergo anima per
eam solam impressionem Divinæ illumina-
tionis in ipsa receptam percipit & rem
agendam , & suavitatem rei agendæ : ac
proinde & novit quid agere debeat , &
delectatur ut agat : ex quo utroque effec-
tu notitiæ videlicet & delectationis cæteri
omnes effectus pendent , ut dixi , & nul-
lo negotio explicantur.

90. Neque tamen ad eos facilius explican-
dos nihil proderit , si recogites quid eye-
niret in casu licet impossibili , quo cera ,
cujus paritatem supra attuli , agnosceret
characteres sive sigillationis , ac final-
sentiret ejusdem aliquam suavitatem ;
sive potius in casu , quo agnosceret se
per eos characteres juberi v. g. ad Deum
amandum , & per eosdem presentiret
suavitatem talis amoris. Certe hæc qui-
dem cera , quæ supponeretur intellecti-
va , & aliunde prudens ac libera , agnos-
ceret se ejus esse , à quo sigillaretur , &
ei se voveret , & libenter obsequeretur ,

& amaret, & opem imploraret, &c.
Et sic quidem se gereret, quia esset
prudens; sed quia esset libera, posset
distrahere se, ac fortè etiam se distraheret
ab impressione accepta, & ignorantiam
suam ac malam cupiditatem præficeret
fulgori ac voluptati Divinæ inspiratio-
nis, prout peccatores ac perversi homi-
nes solent anteponere sacris luminibus
ac gaudiis supernarum cogitationum pro-
phanas ac luctuosas faces sive potius
tenebras & nauseas mundanæ conversa-
tionis. Quām aliis erat ab istis homi-
nibus propheta Regius quo tempore exhi-
bebat Deo cor suum, tanquam ceram
mollem sigillandam supernis characteri-
bus, per quos agnosceret inspirationes
& delicias Divini beneplaciti. Factum est
cor meum, hæc sunt ejus verba, tan-
quam cera liquescens in medio ventris mej.
Quæ piissima verba occasionem dede-
runt præmissæ suppositioni, quæ licet
impossibilis, non inutilis tamen est ad
assequendam intelligentiam modi, quo
quisque nostrum se gerere debeat quo-
ties excipit impressiones gratuitas, id est
gratias actuales Divinæ inspirationis ac
simil inspiratæ suavitatis: debet enim
se gerere ad instar ceræ, quæ molli-
tiem suam exhibeat à Deo superscri-
bendam, & ejus se esse intelligat,
cujus superscriptio fuerit: sicut olim
Christus ex superscriptione & imagine

cæsarea intulit numisma census sibi ostenditum, reddendum esse Cæsari. Ostendite mihi numisma census: at illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus, cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei Cæsar: tunc ait illis, redite ergo quæ sunt Cæsar's Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. matt. c. 22.

91. Afferri etiam posset non absimilis illa paritas, quæ legitur apud Prophetam Jeremiam cap. 18: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea Domus Israel:* unde D. Paulus scribens ad Romanos ansam arripuit ostendendi quām inscrutabilia sint Divinæ prædestinationis, & distributionis gratiarum ad eam consequentis mysteria, quibus creaturam omnem rationalem submittere se sine ulla querela & omni cum humilitate necesse fit. *O homo tu quis es, aiebat, qui responderas Deo?* Numquid dicit figuratum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figurulus lutti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. Verūm hæc sunt mysteria, quorum imperscrutabilitatis scrutatio non pertinet ad hunc locum, ad quem tantummodo spectabat ostendere distributionem quæcunque illa sit gratiarum actualium, & operationum nostrarum ex illis consequentium multò verius explicari per actiones & impressiones improductas Divinæ illuminations, quām per entitates qualescunque

accidentales spirituales à Deo productas
& animæ inhæsivas: quatenus entitates
istæ nec vim haberent illuminandi, ne-
que saltem tam prompte ac tam intime,
tam fortiter simul ac tam suaviter illu-
minarent & oblectarent animam, prout
par est eam illuminari & oblectari ad
ambulandum in via supernaturali suæ
salutis.

Audio tandem opponi postremo huic ^{92.}
argumento, videlicet male sonare in re-
bus spiritualibus hujusmodi impressiones,
per quas explicare voluimus gratias ac-
tuales Divinas & operationes earum.
Tum quia omnis impressio supponit con-
tactum, per quem celinquatur in te-
cta vestigium quoddam rei tangentis:
res autem spirituales ex hoc uno quod
spirituales sunt, tangi non possunt: imo
etsi tangi possent, idoneæ tamen non
essent ad excipienda tangentium aliarum
ulla vestigia; ut facile est conjicere ex
hoc, quod ipsa etiam corpora, quando
sunt eximiæ cujusdam tenuitatis aut flui-
ditatis, incapacia sint retinende ullius
impressionis: sic nec retinet aer vesti-
gium ullum volatu avium, nec aqua
natatus piscium. Tum rursus quia im-
pressiones, quæ in anima à Deo fierent,
necessariò in ea fierent; neque enim
posset anima non admittere eas, ut
cera non potest non admittere im-
pressionem sigilli: at effectus gra-
tiaæ saltem non omnes sunt necessa-

rii, imo potius omnes sunt liberi. Erga male exponuntur per impressiones præmemoratas, ut è contra bene exponuntur per entitates ordinis supernaturalis spirituales productas, quæ libertati voluntatis nullatus officiunt, imo illam juvant & augent, qualiter passim docent Theologi hac de re consulendi.

93. Verumtamen non magis dubitari potest quin admittendæ sint in rebus spiritualibus impressiones prædictæ, quam quod admittendæ sint actiones aliarum in alias: omnis enim actio, ad quam non subsequeretur impressio facta, esset tanquam non actio; quia non immutaret subjectum, in quo recipi supponetur; aut si utsunque illud immutat, prout certè non potest non immutare, ibi habes mutationem factam, quæ est ipsa impressio, de qua agitur. Neque obstat siue quod ajunt hujuscemodi impressiones præsupponere quosdam contactus, siue quod addunt non posse satis intelligi istos contactus rerum spiritualium. Quia licet, ut fateor, non possit satis intelligi, ob deficientem in nobis adequatem ideam rerum spiritualium, modus quo accidit eas sese-mutuò tangere; aliunde tamen evidens est eas nisi sese mutuo utsunque tetigerint, nihil agere in sese invicem. Unde præterea infero nec posse res spirituales à materialibus, nec materiales à spiritualibus quam pati absque aliquo interveniente

contactu : ita quod si nullus contactus intervenerit , nullus quoque adsit effectus sive spiritualis sive materialis ; neque enim datur actio in distans. Hoc etiam speciatim verificatur in effectibus ad cognitionem & amorem spectantibus , quoniam non exurgunt effectus isti , nisi ex conjunctione objectorum hinc cognoscibilium , hinc amabilium cum suis respectine potentiis , videlicet intellectu & voluntate : omnis autem conjunctio est quidam contactus. Itaque non mirum , quod effectus supernaturales gratiæ operantis illos in nobis , pendant à contactu quodam Divino , seu à contactu manus , ut ita loquar , Divine mentibus nostris ac voluntatibus ap-^{hom.}plicatae. Hinc apud Chrysostomum gratia^{ss.} iu- vocatur manus *superna* : & expressius gen- apud Basilium contactus *virtutis* scilicet^{to. 2.} Divinæ. Nec aliunde quicquam tam^{ad} familiare in factis scripturis & apud^{am-} Santos Patres , quam quod Deus per gratiam , id est per actionem gratificandi , quæ maximè est actio illuminandi , ut dictum est , intimius cum anima uniatur ; quasi arctior sit iste contactus , quam ille quo necesse est Deum adesse ac potius inesse animæ per suam im- mensitatem.

Equidem novi placere multis novam 94.) sententiam , quæ spiritui præter cognitionem nihil tribuens , uti materiæ nihil præter extensionem , neutri tribuit

motum ullum efficere ; sed efficiendum à Deo tantum occasionare , videlicet spiritum quidem per sua desideria , materiam verò per novitatem aliquam sui status. Hinc anima , inquiunt , non movet corpus , sed tantummodo motum ejus desiderat , & ex hoc desiderio occasionatur Deus movere corpus : similiiter neque corpus movet animam efficiendo ut hoc aut illud cogitet ; sed quia corpus est in hoc aut in illo statu talis aut talis temperamenti , hinc occasionatur Deus immittere animæ hanc aut illam cogitationem. Unde sequeretur falsum esse quidquid diximus de contactu sive rerum spiritualium inter se , sive earumdem cum materialibus ; multòque falsius esse quidquid de impressiōnibus ad tales contactus subsecuturis attulimus.

95. Verum non est quod hæc nova sententia , quæ Cartesiana est , nos absterrat ; præterquam quod enim erronea est , si alia unquam fuit , vel maximè quia uno iectu omnes causas secundas ferit & abolet , sufficit ad rem nostram quod Deus actione sua seu motione sua afficiat animam ; nam si afficit , utique afficit sine interveniente distan-
tia , ideoque afficit & tangit , & in ea contactus sui vim impiimit , & expri-
mit characterem : hæc autem impressio
est prædicta illa suavis illuminatio , ad
quam actus nostri liberi subsequuntur.

Quod

Quod vero ajebant corpora quæ sunt
maximè tenacitatis, nullius esse capacia
retinendæ impressionis, & hinc inferre-
bant spiritus esse ad omnem impressio-
nem retinendam ineptos, facile rator-
quetur, quia si talia corpora sunt ad
omnem impressionem retinendam inepta,
non sunt saltem inepta ad eam excipien-
dam, imo sunt ad omnem impressionem
excipiendam paratissima. Unde inferetur
spiritus esse similiter paratissimos ad
exceptionem impressionum sibi conve-
niens tium, id est intellectualium, quas
aliunde si nihil perturbaverit, cur non
retinebuntur? atque inde different ab
impressionibus aereis, aqueis, & simili-
bus, quæ statim ut exceptæ sunt, pet-
turbantur. Uno verbo quæcunque non
distant ab invicem, tangunt se invicem:
hinc anima quæ penetrat corpus ac
proinde non distat ab illo, tergit &
tangitur: hinc etiam Deus ex hoc quod
penetret animam non distat ab illa,
ideoque tangit & tangitur. Quæ omnia
si recte attenduntur, probant quidquid
assertum est de impressionibus superna-
turalibus gratuitis supradictis.

Tandem quod adjiciunt prædictas 96.
impressions fore effectus gratia neces-
sarios, id equidem ita est: quia sunt
in nobis sine ipsis: sic enim in nobis
sine nobis quod illuminemur, quatenus
illuminari est quod cedam pati. At non sic
in nobis sine nobis erit attendamus ad

illuminationem impressam, & quod co-
hærenter ad illam diligamus, confida-
mus, timemus, humiliemur, deprece-
mur, &c. nam diligere, confidere, ti-
mere, humiliari, deprecari, &c. agere
est, & hoc quidem agere nostrum est:
imo omnino nostrum est. *Nisi quis absurdissime* putet Deum secundum quod præope-
ratur ac cooperatur nostrum illud diligere,
confidere, timere, &c. diligere nobiscum eā
dilectione, quā diligimus, & confidere
eā confidentia, quā confidimus, & ti-
mere eo timore, quo timemus, &c. qua-
si ex dilectione Divina & nostra consurgat
una totalis quælam dilectio; ex confiden-
tia; Divina & nostra consurgat una totalis
quædam confidentia; ex timore Divino &
nostro cōsurgat unus totalis quidam timor;
&c. ad eum modum, quo exduabus actioni-
bus sociatis humanis elevantibus aliquod
pondus consurgit una totalis quædam
elevatio talis ponderis. *Nisi quis*, in-
quam id absurdissime putet. Quia licet ac-
tus noster diligendi sit a Deo operante &
cooperante ipsum non est tamen in Deo
actus diligendi, sed actus efficiendi ut
diligamus, id est actus vocandi per
præmissam & continuatam illumina-
tionem, & sic de aliis actibus confi-
dendi, timendi, &c. Vnde colligitur
actus nostrum diligendi prout est actus
diligendi esse omnino nostrum ac tam
omnino nostrum quam Dei sit omnino
actus vocandi: vel maxime quia actus nos-

An è contra verius expl. &c. III
ter diligendi, & sic de aliis, nihil est
nisi actus sequendi, seu obsequendi Di-
vinæ vocationi illuminatrici, aut quod
idem est, Divinæ illuminationi vocatrici,
quà efficitur ut diliganus. Hinc eviden-
tissimè verificatur id quod supra ex D.
Augustino retuli, *Vt velimus*, inquit,
& suum esse voluit & nostrum, suum vocan-
do, nostrum sequendo. Igitur quidquid de
impressionibus ad illuminationes Divinis
subsequentibus supra dictum est, non
impedit quomodo sint liberæ actiones
illæ omnes nostræ quas interest esse libe-
ras; imo hinc multò illustriùs patet quæ
sit earum libertas, quām si dicatur eas
in nobis effici per mutam ac cæcam nel-
cio quam motionem entitatulæ alicu-
jus productæ, quæ si actiones nostras
operatur, contra id quod scriptum est
Deum operati opera omnia nostra in no-
bis, eas utique operaretur necessitanter, cor-
nihil humano relinquens arbitrio, nisi
nomen agendi id quod revera non ageret,
sed tantummodo pateretur. Vide supra
n. 87.

S U M M A R I U M totius questionis.

PROPOSITUM torà hac quæstio- 97.
ne fuit ostendere gratiam Divinam
actualem, quà ad operandum supernatu-

raliter elevamur, præparamur, juvamur, vocamur, trahimur, inclinamur, compellimur, &c. non esse accidens spirituale supernaturale productum à Deo & animæ inhæsum, quale Theologis Aristotelicis vulgo placet, constitutum ad instar accidentium materialium, quibus tribuunt produci à suis respective causis, ac tuoi suis respective subjectis inhætere, & in illis agere & pati, vel certe vim agendi & patiënti omnem illis tribuere. Sic enim actiones omnes ac passiones, & utrarumque effectus omnes ad accidentia prædicamentalia Aristotelica refertunt relinquentes & concedentes substantiæ solam quandam agendi & patiënti facultatem remotam, quæ nisi in accidentia tanquam proxime actura & passura, agentia & patientia transferretur, nullum in rerum natura effectum promeret. Itaque ad liberandam notionem gratiæ Divinæ actualis ab omni productione physica entitatis cuiusvis talis accidentalis, ostensum est ac præsertim ex concilio Tridentino gratiam illam actualem consistere in actuali inspiratione Divina, sive quod idem est, in actuali quadam Divina illuminazione, quæ ut ex parte Dei illuminantis est physice improducta, ita nec minus improducta est ex parte animæ illuminatæ; vel maxime quia hæc illuminatio physice una est, licet dupliciter relata hinc à principio ad subjectum, illinc à subjecto ad principium: ex hoc autem quod

est physice una , non potest esse partim improducta , partim producta. Neque hoc extraneum videri debet Theologis Aristotelicis , qui legunt apud D. Thomam suo loco relatum , idque probantem ex Aristotele actionem & passionem non esse nisi motum physice unum , licet dupliciter considerabilem metaphysice: quare concessimus quidem gratiæ Divinæ actuali hinc collatæ , illuc receptæ notionem accidentis metaphysici ; sed constanter ab eadem quounque modo spectata , idque authoritatibus & ratiociniis multis exclusimus notionem accidentis physici , seu physice producti & inhæsivi , quale in scholis fingitur.

Ostensum exinde fuit entitatem illam ^{98.} spiritualem , quæ ex hypothesi produc-
retur ad sollicitandos actus nostros tum
intellectivos , tum voluntarios , fore ad
utrosque & *inaktivam* & *inutilem*. *Inacti-
vam* quidem , quia anima intellectualis
cum sit , non potest nisi per motiva intel-
lectualia moveri ad operandum : at hujus-
modi entitas , quia omni intellectu care-
ret , non haberet vim motivi intellectua-
lis , videlicet vim præcipiendi , promit-
tendi , suadendi , comminandi ; &c. Imo
quamvis præcipere , præmittere , suadere
aut comminari , &c. quicquam posset ,
non utique id præstaret , nisi per quam-
dam illuminationem intellectualem ordi-
nis naturalis veluti Angelicam aut Hu-
manam ; hæc autem illuminatio nullate-

nus nobis sufficeret ad exercenda opera supernaturalia nostræ salutis. Inutilem quoque; quia nihil inutilius fangi potest, quam quod agens, cuius activitas, aliunde sufficientissima, immediate conjungitur suo subjecto, adhibeat instrumentum operandi velut interventurum : quamquam nec intervenire seu interapplicari potest propter immediationem suppositionis, alioqui daretur conjunctio immediatio inmediata, quod in terminis repugnat. Hinc autem illatum fuit productionem entitatis praedictæ accidentalis fore inutilem : quia activitas Divina est immediate conjuncta cum anima, & aliunde est sufficientior omni aliâ cogitabili ad animam illuminandam eâ illuminatione, que est illuminatio gratiae. Quid ergo aliud requiritur, quam ut Deus, qui intime penetrat totam animam, agat in eam eâ actione, quæ est illuminativa supernaturaliter, id est supervim omnem illuminativam naturalem ? ex hac eam illuminatione præveniente & continuata derivabitur in animam quidquid ipsi opus est ad operanda opera supernaturalia suæ salutis. Hanc doctrinam bene noverat D. Augustinus supra relatus n. 13. quum ajebat. Deus itaque per se ipsum quia lux est, ea videlicet lux, quam vocamus lucem gratie, illuminat pias mentes, &c.

¶. Ac demum, ne sim nimius in hoc sumario, incusatum sepius fuit adhibitum

An è contra verius expl. &c. 115
præsertim in exemplum luce solari, quæ
licet in se una & unâ actione movens
oculum corporeum, innumerabiles tamen
in eo producit varietates sensationum
spectantium ad suavissimas delicias & uti-
litates visionis ac vitæ: inculcatum, in-
quam, sæpius fuit, qualiter una eadem
que actio Divina illuminativa sufficiat ad
implenda omnino ea omnia officia ac mi-
nisteria, quæ gratiis actualibus tribuun-
tur pro anima vocanda, excitanda, tra-
henda, inclinanda, prævenienda, juvan-
da, &c. quatenus nihil est excogitabile
in quocunque genere luminis, soni, odo-
ris, saporis, tactus, & omnis alterius
motivi spiritualis supernaturalis ad obti-
nendos hujuscemodi effectus & consen-
sus nostros ex illis consecuturos ido-
neum, quod non mirum in modum in
una actione illa Divina supernaturali il-
luminativa contineatur. Cum ē contra
nisi in infinitum multiplicentur entita-
tes illæ accidentales, quibus tribuere-
tur esse gratias actuales, non possit ex-
plicari tanta effectuum varietas, quanta
advertisitur in toto vitæ nostræ super-
naturalis per gratiam actualem initia-
tæ, auctæ & perseverantis negotio.
Aliunde vero ita solide, nisi fallor, ac
perspicue scripsi & solvi quidquid in
favorem entitatis illius accidentalis,
quam vocant gratiam actualem produc-
tam, adversùs gratiam nostram actu-
alem improductam objici potuit, ut si

nihilominus non convinceris , parce mihi lector optime audacter dicenti , id non meo vitio vertendum esse , sed tuo . Et hæc de gratia Divina actuali quoad physicam ejus entitatem dicta sufficiant .





QUÆSTIO II.

D E G R A T I A
*habituali quoad physi-
cam ejus entitatem.*



UÆSTIO hæc articulis sex absolvetur. Perquiretur in primo quid rei physicæ sit gratia habitualem produci. Tum in secundo quid rei physicæ sit gratiam habitualem recipi & manere in anima. Deinde in tertio quid rei physicæ sit gratiam habitualem amittit. Postea in quarto quid rei physicæ sit gratiam habitualem esse justificativam seu sanctificativam animæ, in qua recipitur. Postmodum in quinto an verius explicetur quidquid spectat ad gratiam habitualem ponendo quod sit accidens, videlicet productum & in sensu Theologico Aristotelico acceptum. Ac denique in sexto an è contra id totum verius explicetur.

ponendo quod non sit tale accidens. Ubi advertis referenda esse in articulo quinto potiora argumenta, quæ fayent sententiæ Theologicæ Aristotelicæ circa accidentalitatem physicam ac physice productam gratiæ habitualis; sicut in sexto proponentur potiora ratiocinia, quæ tallem accidentalitatem oppugnant ac nisi fallor convineunt chimæricitatis exmixe.



ARTICULUS I.

*QUID REI PHYSICÆ
sit gratiam habitualem pro-
duci?*

Ioi.

ADVERTO Theologos Aristotelij-
cos non solere requirere quid rei
physicæ sit gratiam habitualem pro-
duci; sed quo vocabulo debeat hæc produc-
tio exprimi, an creationis, an increatio-
nis, an concreationis, an educationis, an
inductionis, an infusionis, &c, in quibus
proinde controversiis non inquirunt rem,
sed nomen rei. At nos è contra non no-
men rei, sed rem perquirimus, dum investi-
gamus an productio gratiæ habitualis sit
productio physica rei physicæ, talis vide-

licet tēi an non, qualis vulgo reputatur entitas illa spiritualis supernaturalis accidentalis, quam contendunt produci in anima & eidem animae inhætere, & eandem sanctificare &c. Id autem meritò investigamus, quia illicè, nec minus meritò, suspicamur non fuisse nisi ex p̄æjudiciis Phylosophicis inductum in Theologiam genus illud entis habitualis supernaturalis reahiter producti & distincti à suo subjecto.

Quia enim ubi agunt de p̄ædicamento qualitatis comperiunt apud Aristotelem hanc inter alias divisionem bimembrem *dispositionis* & *habitus*; & exinde tum dispositioni, tum habitui tribuunt suas seorsim realitates productas & distinctas à suis respective subjectis; hinc non aliter discurrent de omni habitu supernaturali, quam de habitu naturali assimilantes entitati istius entitatem illius. Aliunde verò quæcunque in Philosophia assūmunt circa habitus naturales, ea gratis supponunt; & hæc sunt p̄æjudicia quæ trasferunt in Theologiam, seu in tractatum theologum de gratia habituali. Atquæ hic, si usquam alibi, deprehendet lector quantum intersit bene phylosophari, & à quot & quantis ambagibus realitatum accidentalium Theologi suos libros liberassent, si quidquid spectat ad philosophicas p̄ædicamentales divisiones entis p̄æopinati fuissent, uti p̄æopinari debuerunt, nullam importare rerum varietatem, sed solam multiplici-

tatem conceptuum. Itaque nostrum erit deinceps exponere quid rei physicæ sit gratia habitualis, & qualiter ei ei conveneriat produci aut non produci.

Sol. Advetto rursus admittendos esse in rebus spiritualibus perinde ac in corporis suos habitus, id est suas operandi facile, promptè ac delectabiliter, quod propriè habituum est, propensiones tum naturales, tum acquisitas. Ad acquisitas enim quod spectat, evidens est per eandem actuum nostrum tum intellectuum, tum moralium repetitionem, ut acquiruntur in nobis habitus quidam corporei in corpore subjectati, ita pariter acquiri habitus quosdam spirituales subjectatos in anima. Nisi quis falsò putet factā talium actuum repetitione solum esse corpus, quod ad eos facile, promptè & delectabiliter iterandos propendeat, nullatenus verò animam: in quo casu scientiæ & virtutes, secundum quod sunt habitus scientifici & virtuosi, non pertinenterent ad animam, sed ad corpus; & hoc aperteissimum falsum est. Igitur animæ suos habent naturales habitus acquisitos, quibus nec carent Angeli: quomodo enim non acquirent pariter Angeli per assiduam alicujus rei cogitationem vel operationem habitum ejusdem rei cogitandæ vel operandæ? Tum verò si de habitibus naturalibus insitis seu congenitis agitur, multò evidenter est animam non carent istis; quatenus omni-

nino verius est, ac rectæ philosophiæ consonantius animas rationales esse variæ perfectionis specificæ, vel saltum individualis: ac proinde etiam variæ indolis: quid autem est hæc varietas indolis, nisi varietas propensionum habitualium congenitarum ad hæc aut illa studia, ad hæc aut illa ministeria, ad hæc aut illa virtutum exercitia, &c? ita quod sicut insunt corporibus variæ ad varios motus locales proclivitates organicæ, insint pariter & animabus variæ ad varios motus intellectuales cogitandi, amandi, sperandi, &c. propensiones affectuose. Sed neque Angeli carent varietate ista propensionum habitualium, vel maximè si attenditur ad id, quod plerisque Theologis placet multitudinem eorum individualem, esse simul specificam. Quin etiam Deus seclusâ omni imperfectione excogitabili cuiusvis potentialitatis suos habet affectus, aliosque ut ita loquar, aliis vigentiores secundum quod est propensior ad misericordias beneficiendi, quam ad vindictas puniendi; ad ostensionem suæ clementiæ, quam ad ostentationem suæ potentiæ, &c.

Adverto insuper habitus supernaturales, posse perinde acquiri per actus supernaturales, in quo sensu accipio illud dictum S. Clem. Alexandrini lib. 2. Stromatum *Meditatio fidei fit scientia.* Quid autem hinc velim ut intelligas, recole quod totâ præcedente quæstione proba-

tum est , gratiam actualem consistere in
actuali Divina illuminatione , quā si
cogitas à Deo repeti , ac reimprimi sēpe
in anima , concipies animam acquisitu-
ram esse habitum ad tales actus , qui
elicti fuerint , per ac propter repetitio-
nem impressam talis illuminationis . At
quia potest Deus efficere per unicam
illuminationem quidquid per plures ite-
ratas efficeret , hinc habes qualiter Deus
possit statim communicare animæ *quem-
cunque* habitum supernaturalem , qui in
hoc casu non vocabitur *acquisitus* , sed
infusus . Dico *quemcunque* , ut sic adver-
tas Deum posse non tantum infundere
seorsim *quemcunque* habitum particu-
larem voluerit , ut fidei , aut spei , aut
amoris , &c sed præterea habitum uni-
versalem , qui omnes illos particulates
comprehendat , omnibusque prævaleat ,
pendeatque ab illuminatione Divina
universali communicata & vigente , quæ
erga animam præstabit in ordine super-
naturali , quidquid in ordine naturali
præstat erga eandem illuminatio natu-
ralis universalis , quam vocamus ratio-
nem humanam . Atque illuc exurget fel-
ix illud rationis Divinæ & humanæ
consortium . de quo loquitur S. Grego-
rius Thaumaturgus in *Charisteriâ* his
verbis . *Simul in me incepit humana &
Divina ratio , bæc quidem virtute mibi
inexplicabili , ipsi vero propriâ adjuvans ,
illi vero adiuta.*

Deinde etiam quia nihil vetat quomodo 104
nus pro habituali habeatur illuminatio,
quæ actualibus multis repetitis æquiva-
let, eapropter illam deinceps, ad discrimen
ab omni actuali minus valida ac vi-
gente, habitualem vocabimus, & ad il-
lam tanquam ad veram & unicam causam
formalem referemus effectum habitualem
ejus impressionis supernaturalis ad omne
bonum supernaturalis inclinantis, quæ est
perfecta & adæquata sanctitas nostra, ut
probabitur. De cætero autem quia talis
impressionis quoad totam sui realitatem
capax est anima in pueris perinde ac in
adultis; in dormientibus perinde ac in
vigilantibus; & in amentibus perinde ac
in iis, qui suæ mentis planè sunt com-
potes; hinc anticipatè dignoscitur quām
recte quidquid de illa statuetur, concilia-
ri facile possit cum ea communi Theolo-
gorum sententia, quæ tradit parvulis per
baptismum non remitti tantum culpam
peccati originalis, sed præterea infundi
gratiam & virtutes: item cum illa quæ
affirmat gratiam habitualem simul cum
virtutibus infusis esse quid permanentis in
anima justi sive vigilantis, sive dormi-
entis, sive etiam amentis. Nam revera nihil
tam intimum, tam inhærens, tam perma-
nens, tam constans, quām impressio quæ
in anima causatur per prædictam illumina-
tionem habitualem. Quæ omnia suis locis
dilucidius patefiant.

His animadversis ostensuras sum grat. 105

tiam habitualem non produci, ut putant, instar alicuius entitatis accidentalis pertinentis ad eam qualitatis speciem, quæ in doctrina prædicamentali vocatur *habitus*: atque ita non esse qualitatem physicam physicè productam, & physicè distinctam ab anima habitualiter gratificata. Nihilominus admitto gratiæ habituali, quâ nihil est magis physicum, sed improductum physicè, & physicè indistinctum ab anima habitualiter gratificata, convenire notionem abstractam qualitatis & formæ inhærentis utut voluerint: quantum enim ad istos modos loquendi, ultrò eos recipio; sed quod ad rem spectat, contendo chimæricam esse prolsus entitatem illam accidentalem Aristotelicam, quam dicunt esse verè productam in anima ad effectum ejusdem justificandæ; idque contendō vel maxime quia effectus omnes supernaturalis nostræ justificationis independenter ab illa multò expeditius ac dilucidiūs explicantur: imo nec illa obtinet ad ipsos causandos vim ac prærogativam ullam idoneam, ut deinceps infra ac præsertim articulo quarto probabitur. Ecce interim argumenta nonnulla quæ satis convincunt gratiam habitualem non esse entitatem productam, qualem & qualiter vulgo putant produci.

106. *Primo* itaque productio physica talis entitatis, cui tribuunt esse & vocari gratiæ habitualem, traheret infinitas propemo-

dum entitates secum physicè producendas. Neque hoc extraneum videbitur Theologis Aristotelicis , qui simul cum gratia habituali docent infundi virtutes omnes theologicas & morales propter connexionem earum omnium necessariam cum perfecta justitia , quæ est formalis effectus gratiæ habitualis : quatenus non potest quis , ut aiunt , esse perfecte justus sine fide , sine spe , sine charitate , sine humilitate , sine temperantia , sine fortitudine , &c. Atque ita quot sunt virtutes theologicæ & morales , tot erunt entitates accidentales simul & æque physicè producendæ cum gratia habituali. Quantus autem sit earum numerus , id nosti , si nosti divisiones omnes ac subdivisiones talium virtutum : imo neque id adæquate nosti , si non præterea conceptu tuo attigisti , & gradus intensivos earum , & earum qualitates plurimas , & istarum qualitatum alias qualitates in infinitum : nam istæ omnes ac singulæ qualitates perinde habent , si standum est in sententia Aristotelica , physicam prædicamentalem realitatem , quæ erit realitas virtuosa. At vide nunc quæ & quales ambages sunt istæ , ubi protuenda productione unius entitatis , multiplicandæ sunt entitatum innumerabilium , aut certe ad innumerabilitatem accedentium productiones. Quanto itaque consultius est non admittere productionem talis entitatis ? igitur gratia ha-

bitualis non est talis entitas, videlicet physica & physice produc̄ta, ut erat probandum.

107. *Nisi fortè dixeris non videri istas tot productionum ambages consecuturas, nisi apud eos, qui docent gratiam habitualem propriæ ac vere creari; quia nimirum hæc vera ac propriæ dicta produc̄tio secum exigeret veram ac propriæ dictam productionem virtutum, quas habet pro comitibus individuis: at apud cœteros qui nolunt nisi gratiam habitualem aut increari, aut concreari, aut educiri, aut induci, aut infundi, &c. sufficiet simplex quædam ac facilis prædictarum virtutum emanatio vel resultantia, qualē à pari plerorumque accidentium materialium ex formis substantialibus progenitorum laudat doctrina Aristotelica. Aut nisi etiam fortè dixeris non omnes omnino virtutes comitari gratiam habitualem, sed solum nonnullas, quæ in tuendo ac promovendo regimine vitæ supernaturalis, quam gratia habitualis initiat & complet, primatum tenent. Quæ autem tam intricatæ ambages sunt in hoc, quod cum regia entitate istius gratiæ compendi habeant viginti aut etiam triginta per pulchræ entitatulæ pedisequæ ac comitaturæ suam reginam? An non id Deo facile est? An non quoque decet gratiam habitualem ornari & muniti simul virtuoso toto hoc satellitio? An non tandem illam viti doctissimi frequenter*

assimilant turri Davidicæ , de qua scrip-
tum est. *Mille clypei pendent ex ea , omnis
armatura fortium ?*

Nisi , inquam , forte dixeris id utrum- 103
que ; sed nihilominus non sic solvitur
proposita difficultas aliter quam in spe-
ciem . Nam quod aīs non urgeri saltem
ab illa cæteros Theologos , qui nolunt
nisi gratiam habitualem aut increari , aut
concreari , aut educī , aut induci , aut in-
fundī , &c. nullius momenti est : vellem
enīm à te audire an ista sive increatio ,
sive concreatio , &c. sit productio vere
ac realiter physica , vel tantum merè in-
telligibilis : inter utrumque autem hoc
productionis genus nullum aliud mediat.
Itaque si posterius hoc genus amplecten-
ris , nobiscum sentis : si vero prius illud ;
quā ratione vitas ambages tot productio-
num vere ac proprie physicatum , quot
sunt virtutes ac vittutum qualitates gra-
tiam habitualem comitaturæ ? præterea
neque declinatur prædictum illud alte-
rūrum productionis genus amplecten-
dum per emanationem illam , de qua lo-
queris , sive resultantiam spontaneam
virtutum ex sinu gratiæ habitualis ; quia
emanatio illa sive resultantia spontanea
vel importat aliquid productionis physi-
cae , vel nihil : & ita redit difficultas .

Sed neque majoris momenti est illud 109
alterum quod adjicis , videlicet non om-
nes virtutes comitari gratiam habitua-
lem , sed tantummodo quasdam earum

viginti aut triginta primatias. Nam præterquamquod hæc tua quasi divinatio non est nisi ad effugium , communius certiusque aliunde receptum est omnes omnino virtutes esse comites individuas gratiæ habitualis proper perfectam , quam animæ confert , justitiam. Et ratio evidens est : quia sicut non est perfecte justus quisquis caret aut fide , aut spe , aut charitate , aut temperantia , aut fortitudine , &c. Ita nec is , qui carer aut humilitate , aut modestia , aut patientia aut benignitate , aut zelo , &c. Hinc Apostolus nullam virtutem se jungit à gratia habituali quum ait , *Qui ergo tribuit vobis spiritum , id est spiritum perfecte justificantem , qui est spiritus gratiæ , videlicet habitualis , & operatur virtutes in vobis.* Hinc etiam D. Chrysostomus explicans hæc verba Joseph autem vir ejus cum esset justus , justitiam S. Joseph sic accipit & interpretatur. *Fusum hic , inquit , in omni virtute dicit esse perfectum.* De cætero quamvis omnes ac singulæ virtutes gratiam habitualem comitentur , non eapropter illam fingimus fœtam iis virtutum entitatibus aut entitatulis , quas alii vulgo fingunt , quia virtutes non sunt hujusmodi entitates aut entitatulæ , ut ex dicendis constabit.

310 Secundò. Sicut se habet gratia actualis ad gratificandam actualiter animam , ita se habet gratia habitualis ad illam gratificandam habitualiter. At gratia actualis ,

quamvis non sit entitas producta , gratificat illam actualiter , ut constat ex dictis totâ quæstione præcedente , Igitur neque opus est gratiam habitualem esse entitatem productam ad hoc ut gratificet animam habitualiter . Tum verò ut clare patet veritas hujus ratiocinii recolat gratificationem advenientem animæ ex gratia actuali non esse nisi illuminationem actualem : nam quæcunque alia perfectio gratificandi excogitabitur , non erit conveniens naturæ intellectuali , critque proinde inepta ad animam intellectualiter , ut pat est , vocandam , excitandam , trahendam , inclinandam , &c. Sic itaque omnis gratificatio proveniens ex gratia actuali in animam reducitur ad id , quod est animam actualiter illuminari . Hæc autem animæ illuminatio , quæ est illuminatio quædam ejus passiva , non est , ut seorsim probatum fuit , entitas producta ; alioquin entitas illa erit ea quæ illuminabitur , sed non anima , quæ utique non potest esse nisi per se ipsam illuminata ; sicuti nemo potest esse doctus nisi per suam doctrinam , minimè verò per doctrinam alterius . Unde jam infero gratificationem omnem , quæ advenit animæ ex gratia habituali , revocari pariter ad id , quod est animam illuminari habitualiter : at non potest nisi per se ipsam illuminari habitualiter ; quatenus illuminatio habitualis passiva est revera-passio quædam animæ , ad quam

pertinet illuminari habitualiter sicut & actualiter : minimè vero id pertinet ad entitatem , quam singis productam. Igitur si gratia actualis non est entitas realis accidentalis producta & realiter distincta ab anima , cui inseri supponatur : quæ est ratio physica ob quam id totum afferi possit de gratia habituali ? Id certe non lib. afferes si attendis ad hæc verba expressissim. ad sima S. Basili. *Verum ipse à Deo manans*
ver-
sus (Spiritus) subsistit : quæ vero ex ipso manant , operationes ipsius sunt , videlicet illuminationes actuales & habituales , de ium. quibus dictum est. *Hunc spiritum sanctum*
videlicet spiritum gratiæ sanctificantis ,
effudit super nos copiose Deus per Jesum
Christum : effudit non creavit ; largitus est
non fecit ; dedit non construxit ; &c. ideoque
non produxit : & sic gratia habitualis non
est entitas producta , ut erat probandum.

III. Deinde si gratia habitualis ex parte nostri spectata consistit in illuminatione supernaturali habituali nobis divinitus communicata , ut frequenter deinceps probabitur , facile intelligetur qualiter non sit entitas quædam singularis producta , comparando hujusmodi illuminationem cum illuminatione habituali naturali nobis pariter Divinitus communicata. Certum quippe est animam non solùm esse ex natura sua intellectivam , & hanc suam vim intellectivam accepisse à Deo ; sed esse etiam naturaliter habitualiter inclinatam ad intelligendum ; & accepisse à

Deo hanc suam naturalem habitualem inclinationem intelligendi. At nemo hactenus fuit tam Aristotelicus , qui dixerit hanc habitualem inclinationem esse rem seorsim productam , animæ insitam , & ab illa distinctam : igitur idem sentendum erit de inclinatione intellectiva habituali supernaturali Divinitus animæ communicata : ac proinde etiam de illuminatione illa supernaturali habituali Divinitus accepta , in qua certum est apud nos consistere gratiam habitualem ex parte animæ habitualiter gratificatæ spectatam. Paritas autem valet vel maxime quia sicut illuminatio habitualis supernaturalis est gratia accepta ordinis supernaturalis , ita illuminatio habitualis naturalis est gratia accepta ordinis naturalis : unde si hæc non est entitas seorsim producta non obstante quod sit gratia ordinis naturalis ; ita nec illa erit entitas seorsim producta non obstante quod sit gratia ordinis supernaturalis. Ac demum ut melius noveris qualiter omnes animæ perfectiones naturales non minus quam supernaturales , gratiæ Divinæ sunt & vocentur cum solo discrimine hujus aut illius ordinis , audi D. Cyrillum Archiepiscopum Alexandrinum qui libro primo in joannem ad explicanda hæc verba. *Quoniam de plenitudine ejus omnes nos accepimus adducit Apostolicam istam sententiam Quid enim babes quod non acceperisti & subjungit. Non enim esse solum , sed*

etiam bene, & hoc aut illo modo esse datum est à Deo creaturæ, nihilque à se habet, sed sola benignitate largientis. Superius dixerat. Præterquamquod ad esse producta sunt omnia, unumquodque existendi modum habet à Deo, nec in iis quicquam substantialiter esse intelligimus, quod à benignitate creatoris non proficiatur, & opificis gratia Divinitus innitatur. Ex quibus omnibus recte perpensis sequitur gratiam habitualēm non esse entitatem sive qualitatem aut formam inhærentem vere & physice productam.

II. 2. Quia tamen, ut dixi supra n. 101. non moveo quæstionem de nomine, sed tantum de re physica & physice exponenda, admitto libenter modos omnes vulgares abstractos loquendi de gratia habituali tanquam de qualitate quadam & formā inhærente; vel maxime quia illuminatio supernaturalis habitualis, in qua notio vera gratiæ habitualis consistit, vere qualificat animam, quia vere eam gratificat; seu deificat, consignat in heredem regni cœlestis, efficit domesticam Dei, &c. Et aliunde intima est eidem animæ, nec inhærere intimius ei aut perseverantius quicquam potest. Admitto quoque libenter id quod dicunt gratiam habitualēm produci, in eo videlicet vulgari ac latiori sensu, quo omnis nova mutatio intellectualis perinde ac omnis nova mutatio localis vocari potest nova productio, scilicet sensibilis & reputata. Quæ omnia

omnia advertenda & distinguenda fuerunt, ut illicò compareat nostri propositi non esse innovare locutiones scholæ consuetas, in quibus utique convenimus quoad exponendam notitiam rerum, de quibus agitur, in abstracto; sed tantum ostendere quam male ac turpiter abstractis illis loquendi formulis periti cæteroquin homines inducti fuerint ad cogitandas & instituendas res illis substratas quasi verò ex multiplicitate & diversitate conceputum probari possit multiplicitas & diversitas rerum: quasi verò, inquam ex hoc quod aliquid concipiatur ad instar rei productæ & inhærentis, ut in præsenti casu circa gratiam habitualem, hinc concludendum sit id, quod sic concipitur, esse rem productam & inhærentem. Et hoc est nihilominus caput unde diffliuit tota progenies formularum accidentalium philosophicarum. Videamus deinceps an afferant Adversarii aliquid solidum, quo probent gratiam habitualem esse entitatem accidentalem verè productam..

Effectus, inquiunt, gratiæ habituæ 113
lis sunt vere ac realiter producti, quia sunt vere & realiter physici: neque enim sunt tantum veri metaphysicæ & in abstracto, sed physice & in concreto. Hoc itaque modo vere physico & concreto evadit homo justus per gratiam habitualem, & sanctus, & filius Dei adoptivus, & hæres regni cælestis, & amicus ac

domesticus Dei , & consors naturæ Di-
vinæ , & conformis Christo , & nova
creatura in ordine supernaturali , &c. ut
patebit ex locis permultis sacræ scripturæ
ac expressissimis infra referendis. Quo-
modo autem ex causa , seu entitate cau-
sali non vere producta prodire possunt
effectus vere producti ? Igitur gra-
tia habitualis , quæ est causa talium af-
fectuum , est entitas vere producta , seu
qualitas aut aliter forma accidentalis
vere producta , & inhærens animæ , si-
c ut Theologi vulgo sentiunt.

114 Verum levissima est hæc difficultas ; quia
potest aliquis effectus esse verus ac
physicus , nec tamen esse vere ac physice
productus ; ideoque nec pendere à causa
vere ac physice producta . Hinc accidit
quam plurima innovari secundum statum ,
quæ nihilominus non innovantur secun-
dum rem : sic omnia corpora per suos
motus locales acquirunt singulis instan-
tibus novum statum , scilicet localem ;
sic etiam omnes animæ rationales & An-
geli per suos motus intellectuales acqui-
runt singulis instantibus novum statum ,
scilicet intellectualem ; sed nihilominus
nullam acquirunt realitatem de novo in
ipsis productam : alioquin singulis instan-
tibus mutaretur ea realitas , quæ consti-
tuit naturam rerum corporearum &
spiritualium . Nunc autem quidquid accidit
in justificatione hominis per gratiam ha-
bitualem , non importat nisi novum sta-

um, scilicet supernaturalem, aut aliter Divinum, quem D. Dyon. Ecclesi. Hierarc. cap. 2. exprimit per hæc verba esse *Divinè*, & *Divinè existere*. Tum hæc verba dilucidat tradens qualiter justificatio per gratiam habitualem obtenta, sit *Divinissimæ regenerationis nostræ traditio* & *ineffabilissima Divini nostri status fabricatio*. Et rursus statum istum vocat *Divinitus afflatum*, sicut etiam docet cum presupponi ad omnes supernaturales nostras operationes, quatenus quidquid quoque patitur est nec agit, nec patitur, nisi que naturæ status que sunt sui. Itaque quoties anima per gratiam habitualem justificatur, mutatur quoad statum, sed quoad rem non mutatur, quia mutatio status non est, ut dictum fuit, mutatio rei: alioquin res & status rei essent duæ res: & sic anima & status naturalis animæ essent duæ res: aut si non sunt duæ res, neque pariter erunt duæ res anima & status supernaturalis ejusdem animæ.

Ut autem facilius dignoscas qualiter ^{115.} status iste Divinus seu status animæ iustificatæ non sit res producta superaddita animæ, attende statum illum esse statum filiationis supernaturalis: & mox filiationem istam supernaturalem confer cum illa naturali, quâ sumus omnes, etiam peccatores, filii Dei. Illam itaque filiationem naturalem an putas esse rem superadditam animæ? & non potius fa-

teris eam nihil esse nisi animam ipsam
 quatenus formatam ad imaginem Dei ,
 sive creatam in similitudinem naturæ
 Divinæ intellectualis per impressionem
 intellectualis acceptam ordinis natura-
 lis ? Hæc autem assimilatio naturæ nostræ
 intellectualis cum Divinâ est radix &
 causa effectum , videlicet cognoscendi ,
 volendi , sperandi , timendi , audendi ,
 &c. in ordine naturali . Cogita deinceps
 altiorem , id est supernaturalem naturæ
 Divinæ intellectualis assimilationem im-
 pressam animæ , & hoc pacto intelliges
 supernaturalem filiationem nostram , cu-
 jus effectus sunt esse justum , esse sanctum ,
 esse adoptatum , esse hæredem regni
 cœlestis , esse novam creaturam , esse tem-
 plum Dei vivi . &c. Quos omnes effectus
 admitto & conclamo esse maxime rea-
 les , maxime physicos , maxime intimos
 animæ , &c. sed nego eos esse productos
 ad instar entitatum accidentalium super-
 naturaliū animæ , quandoquidem nec sta-
 tus , cuius effectus sunt , est entitas ulla ta-
 les superaddita . Neque supererit aliquid
 hac de re dubitandū postquam sufficien-
 ter expositum fuerit infra à n. 225 qualiter
 filiaio supernaturalis Divina sit partici-
 patio esse Divini , sive spiritus Divini
 juxta illud epist. 1. canonice D. Joan.
*In hoc cognoscimus quoniam in Deo mane-
 mus & ipse in nobis , quia de spiritu suo
 dedit nobis .*

136. Ajunt rursus gratiam habitualem esse

haud dubiè donum supernaturale inditum animæ , perficiens illam constanter , & in ea manens ad modum habitus , dontc amittatur , sive donec *subtrahatur* à Deo qui dedit illud : *subtrahatur* , inquam , à Deo in vindictam peccati , quod consociari in eadem anima cum dono illo tam sancto non potest. Sicut etiam haud dubiè gratia hæc habitualis concessa animæ adest illi in ratione principii vitæ totius supernaturalis ; neque enim possunt operationes nostræ supernaturales nisi à principio supernaturali prodire , perinde ac prodeunt operationes naturales vitales à principio naturali vitali , cognitiones à principio cognoscitivo , volitiones à principio volitivo , &c. At hæc & similia multa invicem probant gratiam habitualem vere fieri , id est vere produci in anima , & ab eadem vere distingui : quia nec potest indistinctum esse ab anima id , quod supra naturam animæ est ; nec rursus potest non esse ab ea distinctum id , quod ita se habet ad animam ut anima se habet ad corpus , in quo utique vere creatur : ex hoc autem quod gratia habitualis sit principium supernaturale vivificativum animæ , est vere anima ejusdem animæ. Igitur gratia habitualis vere sit , id est vere producitur in anima , eo scilicet modo quo fieri seu produci in ea potest non in ratione substantiæ , sed in ratione accidentis habitualis , ut vulgo docetur in scholis. Et hanc quidem ve-

ram productionem quis neget agnoscere
& docuisse D. Aug. tract. 102. in Joan.
his verbis. **D**eus in nobis non ficeret quod
amaret, nisi antequam id ficeret, nos ama-
ret. Facit itaque, id est vere facit, seu
vere producit Deus in nobis id, quod
amat in nobis: quid autem amat in no-
bis nisi opus illud suum, quo justificat
nos, & adoptat in filios, & efficit con-
formes naturæ suæ, & instituit hæredes
regni sui, &c. Ergo rursus propter hanc
invictam autoritatem admittendum est
gratiam habitualēm vere produci; vel
maxime quia aliunde non est impossibi-
le eam vere produci.

III. Ad id autem quod sic aiunt tanta cum
confidentia ut invictum putent, non de-
erit, nisi fallor, responso quæ conatus
istos vincat, & offusas istas tenebras,
salvâ pace dixerim, bene dilucider. Nam
illuminationis habitualis supernaturalis, in
qua dictum est gratiam habitualēm vere
acceptam consistere, habet illas omnes,
ut patet, prærogativas doni supernatu-
ralis ac principii simul supernaturalis
operativi, videlicet remoti, ut ipsi sen-
tiunt, quod eget supervenientiā prin-
cipii proximationis actualis supernaturalis,
id est illuminationis supernaturalis ac-
tualis in qua pariter probatum est tota
quæstione præcedente gratiam supra-
naturalēm actualēm vere acceptam consis-
tere. Neque tamen præmissa habitualis il-
luminatio vere producitur, quia non est

ex parte animæ , nisi quædam illius passio intellectualis : at hæc passio non producitur vere , quia quidquid interim sit de conceptu illius metaphysico , non importat quoad physicum suum conceptionem , nisi statum passivum animæ intellectuare : status autem ex hoc quod nihil est nisi hic vel ille status , nihil vere productum superaddit rei sic vel sic stanti . id est sic vel sic constitutæ in suo si-
ve pati , sive agere . Ad quid ergo admittetur gratiam habitualem vere produci , si nullius veræ productionis accessione opus est ad exponendas prærogativas , excellentias , dignitates illius ? Vel certe eas exponi necesse erit peræque ac gratiam cuius sunt , per reales totidem entitates vere productas : & sic gratia attendenda esset veluti quædam congeries entitatum , quarum cuilibet conveniret esse causam formalem effectus cuiusdam sui formalis . Unde iste v. g. effectus formalis quo adoptamur in filios Dei referretur ad entitatem adoptificativam ; & ille quo designamur in hæredes regni cœlestis ad entitatem hæreditativam ; sicut etiam is , quo ædificamur in templum Dei ad entitatem templificativam ; &c. Quia vero admittuntur sexcenti hujusmodi effectus formales gratiarum habitualis præter virtutes ejusdem comites , de quibus ante dictum est totidem admittendæ essent in finu ejusdem entitatis insertæ & cohabitan-

tes, veluti administræ & subservientes, quas si opus est vere produci, non video quid confusius fingipossit.

118. Deinde verò parum probat veram productionem gratiæ habitualis, supernaturalitas ejusdem gratiæ; quia hæc supernaturalitas nihil aliud importat nisi quod illuminatio habitualis, quæ constituit gratiam illam, sit ordinis supernaturalis; id autem quod est esse ordinis supernaturalis non importat nisi respectum diversum ab eo quod est esse ordinis naturalis. At illuminatio habitualis quæ est ordinis naturalis, non producitur verè, ut suprà dicebam, neque verè distinguitur ab anima sic illuminata: Ergo à pari discurrentum est circa illuminationem habitualēm supernaturalem, de qua agitur: nam utraque non consistit nisi in impressione quādam intellegibili, quam sive sit hujus, sive illius ordinis, tam necesse est identificari cum anima sic intellectuata, quam hanc aut illam ceræ consignationem cum cera sic vel sic consignata. Neque magis probat veram productionem gratiæ habitualis id quod ex vulgari conceptu affertunt, eam esse veluti animam animæ, quia nullam animæ animationem intelligere est præter supradictam illuminacionem: quare si nihilominus hæc illuminatio non est res vera producta, neque verè productum erit id, cui competit animam animare. Ac tandem quia dum

negamus gratiam habitualem vere produci, permittimus eam vocari productam in sensu reputativo, juxta quem plurima, quæ non fiunt, reputamus profactis, quia veluti facta apprehendimus, cogita D. Augustinum in hoc sensu locutum fuisse de gratia habituali tamquam facta à Deo in nobis, licet non facta: vel maximè quia D. Augustinus, siquidem Platonicus, bene novelat veram improductibilitatem formalium Aristotelicarum accidentalium, à quibus nec genere, nec specie differt entitas ista supernaturalis, pro cuius vera productione Theologi sequaces Aristotelis hīc decertant. At quām immeritò? quia entitas ista sic producta neque materia esset, quatenus caret omni extensione: neque esset spiritus, quia caret omni cogitatione. Quid ergo rei physicæ esset, si rei physicæ nihil est, cui non conveniat alterutra illa notio aut materia extensæ; aut spiritus cogitantis? Quæcumque autem hactenus dicta sunt ad probandam veram improductiōnē vel etiam improductibilitatem gratiæ habitualis in sensu vulgari Theologico Aristotelico acceptæ magis confirmabuntur in toto decursu articulorum sequentium.



ARTICULUS II.

QUID REI PHYSICÆ
sit gratiam habitualem recipi,
& manere in anima?

119. Ræmitto in omne quod recipitur, si propriè & correspondenter recipitur, recipi admodum sui recipientis, sive quod idem est, ad formalem exigentiam & mensuram sui recipientis. Dixi si propriè & correspondentē, recipitur: quia multa sunt quæ possunt sine proprietate aut correspondentia formalī ulla recipi, uti si reciperetur aqua in vase non replebili, aut anima in corpore non animabili. Habet itaque omne subjectum in ratione subjecti proportionati & correspondentis formalem quandam exigentiam & mensuram, ad quam accommodatur quidquid in eo recipitur: sic aqua, quæ in vase recipitur, accommodatur ad replebitatem illius: sic anima, quæ in corpore recipitur, accommodatur ad animabilitatem illius: sic gratia, quæ in anima intellectuali recipitur, accommodatur ad intellectuabilitatem illius. Unde infero non esse propriè & correspondentes receptibile in anima, secundum quòd est intellectualis, nisi id per quod in-

tellectuari seu illuminari possit; ac proinde animam non fore subjectum gratiæ sive actualis sive habitualis idoneum, nisi consisteret utraque in illuminatione quadam receptibili, illa quidem in actuali, hæc verò in habituali. Quæ nota præmittenda fuit, ut hinc probetur deinceps entitatem illam ab omni illuminatone distinctam, in qua volunt Theologi Aristotelici gratiam habitualem consistere, nec propriè nec corresponeater receptibilem esse in anima.

Præmitto rursus omnia sacræ Scripturæ loca, quæ testantur Deum eumque Trinum, ac specialiter Spiritum Sanctum venire ad animam sibiique in eâ complacere, eique uniri, & in ea manere, referri merito, uti solent, ad receptionem gratiæ habitualis: ac proinde receptionem istam in veritate rei physica nihil aliud esse, quam adventum illum, quam complacentiam illam, & unionem, & mansionem Dei ejusque Trini, ac specialiter Spiritus Sancti in anima. Quia verò aliunde novimus istam accessionem Dei inhabitaturi in anima non posse intelligi de accessione locali, quasi Deus anteà distaret ab illa localiter: quandoquidem Deus omnem animam nedum piam sed impiam immensitate suâ penetrat, & intimè replet totam, sequitur eam debere intelligi de accessione intellectuali, sive de nova ejusdem Dei ac specialiter Spiritus Sancti operatione su-

pernaturali, quā dignius intellectuat seu illuminat animam. Et hæc quidem est operatio, qua Deus ac specialiter Spiritus Sanctus assimilat animam sibi, ideoque affiliat, renovat, regenerat, consignat, instituit hæredem suam, decorat, vestit, ornat, & cætera præstat omnia, quæ spectant at receptionem adæquatam gratiæ habitualis.

121. Præmitto insuper operationem istam supernaturalem Spiritus Sancti, ad quem specialiter spectat munus ac ministerium totius nostræ justificationis, posse non incongruè vocari spirationem activam, cui ex parte animæ correspondeat spiratio passiva impressa: & hæc quidem spiratio sic impressa ea est, quæ vocatur Spiritus Dei. *In hoc cognoscimus*

D. *Io.* quoniam in Deo manemus & ipse in nobis, in quia de Spiritu suo dedit nobis. & *Spir.*

ep. 1. *ritus Patris.* *Non vos estis qui loquimini*

Jo. *ni, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* & *Spiritus Christi.* *Si quis au-*

16. *tem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* *Et Spiritus Fidei.* *Habentes eundem Spi-*

ad ritum Fidei. *Quin etiam illa eadem spir-*

Rom. *tio sic impressa, est septiformis ille Spir-*

8. *tus sapientiæ, intellectus, consilii,*

2. *ad fortitudinis, scientiæ; pietatis & timo-*

Cor. *ris, de quo legitur apud Isaiam, Et*

4. *Isa.* *requiescat super eum Spiritus Domini, Spi-*

6. *ritus sapientiæ & intellectus, &c.* Neque

non de illa eadem spiratione intelligendum est id, quod alibi legitur de

Spiritu

spiritu virtutis , de spiritu charitatis , de spiritu continentiae , &c. Tandem praedicta spiratio passiva est ille spiritus gratiae expressus in Prophetia Zachariæ his verbis. Et effundam super domum David & super habitatores Ierusalem spiritum gratiae , &c. De cætero licet variis passim nominibus insigniatur hic spiritus nobis à Spiritu Sancto impressus , nihilominus unicus est ac simplicissimus , per cuius possessionem justificamur , efficiamur filii Dei , fratres & cohæredes Christi , &c. Vide supra n. 34.

Nec omittam annotare qualiter iste 122. spiritus , quem Spiritus S. operatur in nobis , sanctus sit : Sanctus quippe est , quatenus per eum mores nostri ad omnem sanctitatem instituuntur : aliunde vero quia habere istos aut illos mores est id , quod vulgo dicitur habere istum aut illum spiritum , unde is qui habet mores austeros Eliæ dicitur habere spiritum Eliæ , & is qui habet mores suaves Moysis dicitur habere spiritum Moysis , &c Hinc fit à pari , ut qui mores habet ad sancte operandum paratos dicatur habere & revera habeat spiritum sanctitatis , sive spiritum illum sanctum , quem sacra Scriptura aliter & aliter vocat Spiritum Dei . Spiritum Patris , Spiritum Christi , Spiritum Fidei , Spiritum Sapientiae , &c. ut mox prænotavi . Tum vero quia unicuique naturæ sui mores conveniunt ,

& unusquisque ejus naturæ esse dicitur, cuius mores participat, hinc quisquis accedit per gratiam ad mores Dei, accedit ad naturam Dei, & fit Filius Dei; quod infra fusiū probabo & in-

Ad *Ro.* *terim* dico insinuatum ab Apostolo suis-

se his verbis Quicumque enim Spiritu

8. Dei aguntur, ii sunt Filii Dei. Non enim accepistiis Spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistiis Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater. Ipse enim Spiritus, scilicet Dei, testimonium reddit Spiritui nostro, id est animæ nostræ, quod simus filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, &c. Tandem omnino necesse est ad intelligentiam sacramentum Scripturarum, & earum præsertim ex quibus notitia gratiæ pendet, ut discernatur inter Spiritum Sanctum, qui est tertia sacratissimæ Trinitatis Personæ, & istum spiritum quem commemoravi & vocavi sanctum, & dixi esse terminum divinæ illuminationis cuiusdam supernaturalis, ac ejus specialiter, quâ illa eadem tertia sacratissimæ Trinitatis Persona sanctificat animas nostras. Iste autem spiritus qui in nobis recipitur, vel transitoriè tantum recipitur; ecce gratiam actualem; vel permanenter recipitur: Ecce gratiam habitualem receptam, de qua agitur. Neque alio discursu opus esse videretur ad probandum qualiter receptio & mansio gra-

tiæ habitualis in anima differant à receptione & mansione hujusmodi entitatis accidentalis creatæ, quam fingunt & vocant gratiam habitualem: nihilominus id aliâ viâ, cåque planiori deinceps probabitur.

Via autem id probandi hæc erit, qua. 123. tenus ex sacra Scriptura satis patet gratiam habitualem, qua justificamur, nihil esse nisi gratiam Divinæ specialis inhabitationis. Sic 1. Joan. 4. legitur. *Deus caritas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Ac rursus Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus, quem locum D. Augustinus explicans tract. 76. ait. Deus Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus veniunt ad nos dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo, veniunt implendo, venimus capiendo, ut sit nobis eorum non extraria visio sed interna, & in nobis eorum non transitoria mansio sed eterna.* Ex qua prædictæ authoritatis expositione satis intelligitur qualis & quanta sit activitas Divinæ inhabitacionis in anima ad eandem justificandam independenter ab ulla entitate producta excogitabili. Itaque sequentia ratiocinia eò tendunt, ut probent receptionem gratiæ habitualis nihil esse nisi receptionem prædictæ divinæ inhabitacionis, quæ

ntique non est entitas ulla producta , & abundè sufficit per se ipsam ad omnem effectum nostræ justificationis : hinc autem erit manifestum quid rei physicæ sit gratiam habitualem recipi & manere in anima : Et hoc est quod nunc inquirimus.

124. Ratio igitur prima hæc erit. Anima quæ habet Deum non inactive , sed active ut par est , & specialiter supernaturaliter inhabitantem , obtinet hoc ipso omnem effectum gratiæ veræ habitualis: hoc ipso enim quod Deus sic inhabitat animam , unit illam sibi , & unitam illuminat , & illuminatam assimilat , & assimilatam affiliat , & affiliatam instituit heredem , & decorat , & ornat , & despontat , & cùmularat iis omnibus potestibus dotibus , quibus cumulandam novit ut sibi sit chara & supra modum omnem grata. Ergo vera receptio gratiæ veræ habitualis non consistit nisi in receptione prædictæ Divinæ inhabitantis. Neque de cætero si potest Deus sic inhabitans hoc totum per se ipsum præstare , recurritur nisi superflue ad entitatem illam productam & receptam , cui Adversarii tribuunt præenumeratos effectus. At Deum posse hoc totum præstare per solam illam activam sui inhabitacionem in anima , id evidentissime patet ex hoc uno , quod talis inhabitatio sit per se ipsam sufficienter operativa effectuum ad quos ordinatur : ordinatur au-

tem ad prædictos effectus, imo ad eos necessitatut; quatenus Deus sic inhabitare animam non potest obcæcatam peccato. Igitur per solam sui talem inhabitationem illuminat eam, quam si illuminat, & assimilat sibi, & affiliat, &c. Quod omnino facile intelligitur si cogitas Deum, quod sæpe dictum est, per se ipsum esse lucem, quæ proinde non eget luce alia ad animam illuminandam, sicut lux solaris non eget alia luce ad hunc mundum visibilem illuminandum. Ergo Deus ex vi istius solius inhabitationis, sive quod idem est, ex vi istius solius lucis inhabitantis illuminat animam, videlicet habitualiter supernaturaliter: in ista autem illuminatione habituali supernaturali sic communicata continentur effectus cæteri supernaturales; quatenus anima in hunc modum illuminata habet hoc ipso effigiem permanentem lucis Divinæ, bonitatis Divinæ, clementiæ Divinæ, & uno verbo sanctitatis Divinæ: sique homo per istam sanctitatem impressam, quæ est propria ad omne bonum, evadit consors naturæ Divinæ, filius Dei, hæres Dei, &c.

Et hujus quidem rationis vim uberiori^{125.} adhuc capies si mecum attendis Deum immensitatem sua inhabitare animam, etiam peccatricem: quid ergo illud est, quod promisit Deus se venturum ad animam, & in ea, si ex peccatrice evaserit dilectrix, mansurum? Quid inquam, illud

150 *Quæstio II. Art. II.*

est, nisi quod proprius ad ipsam accedit, & intimius inhabitabit per affectum peculiarem suæ dilectionis, per affectum scilicet non otiosum, sed operatum seu productivum sanctitatis, & virtutum quas vera sanctitas secum infert? Quo pasto, sicut potest anima inhabitare corpus vel otiose vel active, prout illud vel metè inhabitat, vel insuper movet; sic cogita Deum inhabitare posse animam vel otiose vel active, prout illi aut nihil aut aliquid communicabit ejus motionis habitualis supernaturalis, ex qua pender totus status Divinus animæ sanctificatæ: atque ita ex hoc uno quod concipimus animam in hunc modum supernaturalem inhabitatam à Deo, concipimus & eandem supernaturaliter sanctificatam. Unde sequitur receptione gratiæ veræ habitualis, ad quam spectat animam sanctificare, nihil esse in re physica, nisi receptione prædictæ Divinæ inhabitationis.

126 Ecce præterea exemplum familiarius unius alteriusq; modi, quo potest aliquis apud alium vel præcise hospitari, vel hospitari amicè. Si præcise hospitatur, quid nisi otiose hospitatur? quia hospiti suo nullius beneficii, nullius consilii, nullius gaudii, nullius grati & amatorii commercii favorem rependit. At si hospitatur amicè, placet hospiti suo, & in rebus adversis consulit, & in prosperis gratulatur, & amanter ac lætere convivit. Sic itaque Deus si tantum quia

immensus est, apud animam hospitatur, hospitatur, ut ita loquar, otiose apud illam, in hoc videlicet sensu quod nullis supernaturalibus beneficiis, de quibus jam agitur, eam gratificat; sed si hospitatur apud illam amicè, ea utique amicitia quæ est ordinis supernaturalis, nullum est supernaturalis boni officii genus, quo non illam perseveranter præveniat, ornet, ditet, muniat, &c. ad eam omni meliori modo sibi gratificandam. Instituit itaque eam suis præceptis, manuducit consiliis, corroborat promissis, suisque, ut verbo dicam, communicatis luminibus assidue regit dirigitque in viam salutis. In quibus omnibus bonorum supernaturalium effusionibus exercendis non puto Deum entitates ullas administras adhibere, sed tantummodo eas immediati concursus sui motiones, quas oportuniotes novit ad effectus intentos. Ergo tandem receptio gratiæ habitualis nihil aliud est, quam receptio Divinæ prædictæ & supernaturaliter activæ inhabitacionis: unde intelligitur gratiam habitualem receptam, & gratiam hujus Divinæ inhabitacionis receptæ, esse revera eandem gratiam. Quis autem dixerit gratiam hujus Divinæ inhabitacionis esse entitatem productam & superadditam sive Deo inhabitanti, sive animæ inhabitatæ? quis inquam id dixerit? Quandoquidem à parte hospitatio amici apud amicum est

realitas ulla, quæ fingi possit producta & superaddita alterutriusque aut hospitanti, aut hospiti.

127. Et ne putas novitatem sapere id, quod dixi gratiam habitualem esse gratiam ipsam inhabitacionis Divinæ in anima, audi qualiter loquatur de gratia ista D. Aug. epist. 57. ad Dardanum. *Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare spiritum sanctum, non solum per Divinitatis presentiam, quam ubique est; sed per gratiam habitacionis: sic enim eum nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt & mentem suam, cuius in eis ratio, quam uti nondum possunt, velut quedam scintilla sopita est, excitanda etatis accessu.* Neque hoc in parvulis mirum videri debet, cum Apostolus quibusdam etiam majoribus dicat: *nescitis quia templum Dei estis: & spiritus Dei habitat in vobis.* Ubi advertis communem esse parvulis baptizatis & adultis scilicet justis eandem habitacionis Divinæ gratiam quoad habitu ejusdem illius sanctæ impressionis, quæ secum infert affectum ad omnes virtutes, sed habitualem illam impressionem nondum excitat Deus in parvulis, ut excitat in adultis: quia illi sunt omnis piae actionis incapaces, secus verò isti; quos proinde impressionibus aliis actualibus prævenit, ut per istas operentur id, ad quod operandum inclinantur per illam: atque ita verificatur doctrina communis Theologica, quæ

docet gratiam actualem operari in nobis
ea opera supernaturalia, ad quæ tantum
nos inclinat gratia habitualis.

Ratio secunda hæc sit. Ideo propug- 128.
nant Adversarii receptionem gratiæ habi-
tualis esse receptionem entitatis super-
naturalis productæ, quia non potest,
inquiunt, anima consequi absque tali
entitate productâ & receptâ eam status
Divini formam, quâ sit consors naturæ
Divinæ, quâ evadit initium creaturæ Dei,
quâ affiliatur Deo, quâ instituitur hæ-
res regni cœlestis, &c. Atqui nihilominus
absque tali entitate producta &
recepta potest anima consequi, imo con-
sequitur prædictam formam status Divi-
ni: & hæc quidem propositio satis evi-
denter probatur à pari in hunc modum:
quatenus unaquæque res status sui na-
turalis formam habet, & eam quidem
receptam, nec ideo tamen productam
seorsim, aut distinctam ab ipsa, ipsique
superadditam; alioquin posset produci
à Deo aliqua res absque forma status sui
naturalis: *Quod repugnat, quia non*
potest Deus conferre cuivis rei suum
esse, quin ei conferat tale esse: ista au-
tem talitas, ut sic loquat, est formâ illa,
quam voco formam status naturalis rei
productæ. Hinc anima recipit quidem à
Deo formam status sui naturalis intel-
lectivi, & ad intelligendas res ordinis
naturalis inclinati; sed nihilominus hæc
forma non est entitas quæ consequenter

ad animæ productionem producta fuerit, & ei fuerit superaddita. Unde autem habet anima formam illam status sui naturalis intellectivi, & ad intelligendas res ordinis naturalis inclinati, nisi ex lumine quodam naturali habituali ipsi divinitus communicato? Quare jam idem concludo pro forma illa status supernaturalis intellectivi, & ad intelligendas res ordinis supernaturalis inclinati, quam anima non aliunde habet, quam ex communicatione luminis ejusdam supernaturalis habitualis Divini: & ratio concludendi est, quia anima quoad rem physicam eadem est in se ipsa sive solam formam naturalem intelligendi, sive supernaturalem receperit: imo & lumen Divinum in anima receptum, ac prædictæ utriusque formæ constitutivum idem est in se ipso quoad rem physicam. Quia vero forma status istius supernaturalis intellectivi est ea status Divini forma, de qua agitur, consequens est animam posse obtinere, imo revera obtinere independenter ab omni entitate producta & recepta talem formam, quam sit consors naturæ Divinæ, quam evadit initium creaturæ Dei, quam affiliatur Deo, quam instituitur hæres regni cœlestis, &c.

129. Quæ omnia dilucidiūs capies si atten-dis tam naturale esse animæ, cui Deus communicaverit esse suj luminis supernaturalis, id est suum esse supernaturale

intellectivum, ut operetur intra ordinem supernaturalem, quām ut operetur intra ordinem naturalem post communicatum sibi à Deo lumen naturale, id est esse naturale intellectivum. Unde fit ut status animæ supernaturaliter intellectivæ non sit supernaturalis nisi relative ad aliud statum ejusdem naturaliter intellectivæ: & sic de utroque statu discurrendum est perinde ac si alter ab altero non differret quoad id, quod est utrumque esse receptum in anima. Ergo si receptio status naturalis intellectivi non importat entitatem productam & receptam, nec ullam hujusmodi entitatem pariter importabit receptio status supernaturalis intellectivi. Hæc autem particularis doctrina fundatur in ea universalis, quā apud omnes generatim statuitur esse creaturæ non esse aliud quām ipsum esse creatoris communicatum; ideoque & posse creaturæ non esse aliud quām posse creatoris communicatum: Creator autem communicando esse, communicat simul & posse; & eadem est atque indivisa ex parte creaturæ receptio esse sui videlicet & posse sui: atque in hoc utroque, quod entitative indistinctum est, consistit natura cuiuslibet entis creati. Ergo rursus si concipis animam esse intra ordinem naturalem & posse intelligere intra eundem absque entitate naturali producta ipsi superaddita & in ipsius finu recepta, quomodo non concipis qua-

Inter ea esse possit & intelligere possit
res ordinis supernaturalis intelligibiles
independenter ab entitate producta, quæ
ipsi superveniat & in ipsius sinu recipiatur? Certè D. Basilius ad nullam
hujuscemodi entitatem, sed ad opera-
tionem illuminatricem Spiritus sancti
inhabitantis retulit omnem formam &
habitum animæ supernaturaliter consti-
tutæ & operantis, ut patet ex his verbis

Lib. quæ doctrinam hactenus stabilitam simul
de probant & explicant. Itaque quatenus spi-
spir. ritus sanctus vim habet perficiendi creatu-
San- ram rationalem, absolvens illius fastigium,
eo formæ rationem obtinet. Nam qui jam non
c. 26. vivit secundum carnem, sed spiritu Dei
agitur, & filius Dei nominatur, & confor-
mis imagini filii Dei factus est, spiritualis
dicitur. Et sicut cernendi vis est in oculo
ad sano, sic & operatio spiritus in anima pur-
Eph. gata. Eoque Paulus optat Ephesis ut ocu-
li. los habeant illuminatos in spiritu sapientie.
Et quemadmodum ars est in eo, qui nac-
tus est illam, ita gratia spiritus in eo qui
recepit, semper quidem præsens, et non per-
petuò operans: nam & ars potentiam quidem
est in artifice, actu vero tum quum secun-
dum illam operatur, &c.

130. De cætero ad istam status Divini com-
municati formam supernaturalem, quâ
dixi posse animam affici sine recursu ad
entitatem ullam productam ipsi superad-
ditam & in ipsius sinu receptam, ad is-
tam inquam formam pleniùs stabilien-
dam

dam recolo ex supra dictis n. 122. conformitatem naturarum non melius probari, quam ex conformitate morum, sicut nec conformitas morum melius probatur, quam ex conformitate operum. Hinc babere affectus Divinis similes, & ex ipsis affectibus prodere in opera Divinis similia est revera habere, in quantum haberi potest, eam status Divini formam, de qua agitur, uti formam Divinæ bonitatis, Divinæ clementiæ, Divinæ justitiae, &c. Audiatur S. Leo, qui omnino ad tem nostram sic ait in sermone 1. de jejunio decimi mensis.
Diligendo itaque nos Deus ad imaginem suam nos reparat, & ut in nobis formam sue bonitatis inveniat, dat undei p̄si quoque, quod operatur, operemur, accendens si licet mentium nostrarum lucernas, & igne nos sue charitatis inflans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus. Ex quibus verbis simul patet qualiter nullatenus referenda sit ad unitatem ullam productam supernaturalis illa communicatio affectuum & operationum affectibus & operationibus Divinis consimiliis, sed ad vim Divinæ cuiusdam illuminationis, cuius impressio recepta est ipsa vera forma consignata & reparata Divinitatis. Habes & hujus doctrinæ eandem expositionem apertissimam apud S. Cytillum lib. 1. in Joan. ubi casu explicans illud prophetæ Regii, *Signatum est super nos lumen vultus tui*

Domine sic ait. Signatus est enim in nobis (Dei Filius) qui conformes nos sibi reddidit , & per suum Spiritum illuminacionem impessit , veluti Divinam imaginem credentibus in ipsum , ut & ipsi nuncupentur ad ejus similitudinem Dii , Deique filii .

131. Neque jam est cur diutiū immoret in refellenda doctrina , quæ tam aliena est à sanctis antiquis Patribus , apud quos nihil legitur , ex quo conjici possit vel umbra talis entitatis , quæ vulgo creditur produci & in anima recipi . & esse ea vera gratia habitualis , de cuius receptione hic agitur . Cum è contra apud eosdem plurimā passim sit legere , quæ probant receptionem gratiæ veræ habitualis non esse nisi receptionem Divinæ specialis habitationis , per quam anima supernatura iter habitualiter illuminatur & inclinatur ad omne bonum , quod est ipsam supernaturaliter renovari , formari , perfici , adoptari , sanctificari , &c. Sic S. Irenæus agens de gratiæ Divinæ habitualis receptione nunquid eam clare vocat *infusionem & inser-*
- Jo.5. tione spiritus inhabitantis ? Nunquid &*
cap. eam vocat non minus aperte S. Greg.
10. Theologus. *Dei appropinquationem : quem utrumque è multis hic obiter retulisse*
satis fuerit : venio iam ad solutionem
nonnullarum difficultatum , quæ adver-
sus gratiæ veræ habitualis receptæ præ-
missam explicationem videntur posse
objici.

Objici siquidem potest omnem receptionem-132.
nem esse receptionem alicujus rei, quæ
scilicet vel erat producta antequam reci-
peretur; & hoc modo recipitur aqua
in vase: vel producitur simul ac reci-
pitur: quo modo recipitur anima in
corpore, & generatim omnis forma in
suo subjecto. Aliunde vero gratia non
est res producta antequam recipiatur:
vel maxime quia sic inutiliter es-
set producta, Ergo producitur simul ac
recipitur, atque ita est entitas, quæ
vere producitur & in anima vere re-
cipitur ad eum modum, quo anima
recipitur in corpore. Tum vero hæc
receptionis patitas valet non solum
quia gratia habitualis concipitur ad
instar formæ vivificantis animam, sicut
anima vivificat corpus: sed insuper
quia quidquid attulimus de Deo inha-
bitante, sanctificante, assimilante, affi-
liante sibi animam, id totum nullam
habet rationem formæ, sive qualitatis
divinæ inhærentis: nam id totum ni-
hil entitativum superaddit Deo. At
Deus non potest esse forma animæ, ut
patet. Ergo id quod est forma animæ est
aliquid vere productum à Deo in anima;
& ideo est accidentalis ea qualitas vere
producta & vere recepta, quam Theolo-
gi Scholastici vocant gratiam habitualem,
& ad quam contendunt spectare, ut in-
habitetur, ut sanctificetur, ut assimilet, ut
affiliat animam Deo, quo pacto corruit

modus, quo gratiam habitualem & ejusdem receptionem in anima hucusque explicuimus.

133. Respondeo primò Adversarios, si in rigore Aristotelico discurrunt, cogi hæc ratione, non tantum ad admittendam in omni receptione rem aliquam receptam, sed præterea ad admittendam rem aliam, quæ sit ipsa receptio: quatenus receptio passio est; omnis autem passio est qualitas prædicamentalis, ideoque, ut ubi inferunt, realis quædam entitas. Atque ita essent in anima duæ res adventitiae propterea distinctæ, vide licet *receptio gratiæ*, & *gratia ipsa recepta*: imo quia receptio illa fieret in anima, tam esset recepta entitas prædictæ *receptionis*, quam illa altera *gratiæ recepta*. Sed quia non posset recipi entitas, quæ esset *receptio*, nisi per receptionem aliam, hinc vides qualiter cogententur Adversarii ad admittendas infinitas *receptiones receptionum*. Aut si paululum declinantes, ut ferè solent, à rigore philosophico Aristotelico non putant receptionem *gratiæ habitualis* esse rem ab ipsa *gratia habituali* recepta diversam nisi tantummodo metaphysice, facile erit ut nobiscum sentiant *gratiam ipsam habitualem* non obtinere discriminem ab anima nisi pariter metaphysicum: quia talis *gratia* sic recepta, non se habet in anima nisi ad instar passivæ cujusdam habitualis illuminationis, quæ

proinde nihil animæ superaddit nisi paf-
fionem consistentem in hoc quod est ani-
mam habitualiter illuminari; id autem
quod est animam sic illuminari, non
importat novam animæ entitatem, sed
tantummodo novum animæ statum. Vel
certè quia anima non sic illuminatur,
aut, quod idem est, gratificatur, quia
simil sanctificetur, assimiletur, affilie-
tur, consigretur, ornetur, ditetur, &c.
supernaturaliter: vide quot entitates
alias secum inferret entitas gratiæ re-
ceptæ prædictæ, præter incredibilem
eam cohortem virtutum eam concomi-
tantium, quarum cuilibet sua entitas
effet pariter assignanda ultra multas cu-
juslibet virtutis proprietates, quæ pa-
riter entitatem suam habent.

Respondeo secundò gratiam habitua- 134
lem non verius recipi quam actualem:
quare si nihilominùr gratia actualis licet
verè recepta, non est verè producta, ut
totâ præcedente quæstione ostensum est,
poterit gratia habitualis vere recipi: ne-
que tamen verè produci: idque ad eum
modum, quo in omnibus naturis verè
recipiuntur suæ proprietates, & in sin-
gulis proprietatibus suæ perfectiones,
quamvis sive perfectionum istarum, sive
proprietatum illarum nulla sit specialis
productio superveniens ei, quæ est pro-
ductio naturarum: nam quis cogite
tot proprietates ac proprietatum per-
fectiones, quæ constituunt & ornant.

naturam v.g. Angelicam, produci seorsim quando in ea recipiuntur? Unde evidens est non omnem receptionem esse receptionem rei productæ sive extra sive intra subjectum, quia videlicet non tantum perinet ad res productas recipi, ut ad aquam recipi in vase, vel ad animam recipi in corpore; sed pertinet id quoque ad status, quos constat non esse productos. Sic enim anima dum ex non intelligenti fit intelligens acquirit, & recipit statum intelligentis; nec tamen iste status entitativè producitur, alioquin anima singulis instantibus entitativè mutaretur: quin etiam Deus sic entitativè mutaretur, si novitas omnis status esset novitas entis, quia in Deo distinguimus plures status quasi pereantes & adventitios, uti quando nunc creat, nunc destruit, nunc miseretur, nunc ulciscitur: nunc promittit, nunc comminatur, &c. Ergo quod aiunt Adversarii omnem receptionem esse receptionem alicujus rei, vel tunc vel antea productæ, non verificatur universaliter nisi in sensu relativo & metaphysico, in quo res etiam non producta reputatur quasi producta; sed non in sensu absoluto & physico, in quo non admittitur pro productâ ea res, cujus tota entitas producta distinctor & seorsim non fuit. Quomodo non producitur gratia habitualis, quia non producitur status animæ Divinus præmemoratus, in cuius receptione consistit quidquid

Respondeo tertio, nobis peræque ac 135. Aristotelicis Theologis commune esse, ut concipiamus gratiam habitualem receptam & manentem in anima ad instar formæ sive qualitatis habitualis: Unde & admittimus appellationem, quâ vocatur forma & qualitas ejusdem animæ, sed contendimus id, quod est esse talem formam & talem qualitatem animæ, convenire ex toto, imò non convenire ex toto nisi illuminationi Divinæ habituali, quam causat præmemorata specialis Divina inhabitatio per se solam illuminans animam, & hac sola illuminatione gratificans illam iis omnibus constantibus ac perseverantibus prærogativis, quæ gratiæ habituali tribuuntur, videlicet assimilandi animam Deo, affiliandi, sanctificandi, exornandi, ditandi, &c. Quod autem dicunt Deum, cui prædicta inhabitatio nihil entitativum superaddit. non posse esse formam animæ, id habet sensum duplicum, secundùm quem distinguenda est propositio, concedenda quidem de Deo absolute spectato, sed neganda de Deo considerato relative ad actionem, quâ animam sic inhahitat, sic illuminat, sic deificat: Nam quid vetat isti actioni accommodare notionem formæ; siquidem actio ista nonne informat & qualificat animam, & ita quidem ut qualificare eam illustriùs & magnificentiùs non possit. Atque hic

est sensus, in quo S. Basilius non dubitavit vocare Spitem sanctum formam animæ. Hæc sunt ejus verba. *Mibi*, inquit, consideranti quæ simplex ac brevis sit hujus syllabæ (in) pronuntiationis, tamen varia videntur quæ per eam significantur. Quot enim modis dicitur in, totidem modis invenimus eam de Spiritu Sancto conceptibus subservire. Nam forma dicitur esse in materia, & potentia in eo quod est alicujus formæ capax, & habitus in eo qui secundum illum affectus est, aliaque hujus generis multa. Itaque quatenus Spiritus Sanctus vim habet perficiendi creaturam rationalem, absolvens illius fastigium, formæ rationem obtinet, &c. ut supra retulimus. Ex quibus verbis clare patet Spitem sanctum secundum quod perficit supernaturaliter creaturam rationale, sive quod idem est actionem illam Spiritus Sancti supernaturaliter perfectivam creaturæ rationalis & in ea receptam esse potentiam ejusdem animæ, esse habitum ejusdem animæ, esse uno verbo formam ejusdem animæ. Neque mireris sic loqui S. Basilius & referre hanc animæ formam supernaturalem, quæ est vera gratia habitualis, ad solam quamdam supernaturalem operationem habitualem Spiritus Sancti inhabitantis, quia cum non esset Aristotelicus sed Platonicus, nullas noverat sive in ordine materiali, sive in ordine spirituali hujuscemodi entitates aut entitatulas, quas Aristotelica Schola fingit & produc-

Quid rei physica sit grat. &c. 165
tas & receptas in suis respective sub-
jectis.

Objici etiam potest gratiam habitua- 136.
lem in anima receptam obtainere in ea ra-
tionem doni Divini supernaturalis: at om-
ne donum ex notione sua importat aliquid
reale distinctum à persona hinc donato-
ris, hinc donatarii: quomodo autem po-
test esse aliquid sic distinctum, nisi sit ali-
quid productum, quod transeat juxta hanc
alteram notionem doni ex possessione do-
natoris in possessionem donatarii? Sicut
accidit in quotidianis nostris donationi-
bus p̄cuniarum, prædiorum, vestium,
&c. Itaque à pari sentiendum est de Di-
vinis donationibus, inter quas præstan-
tissima est donatio gratiæ habitualis juxta
illud 2. petri 1. *Per quem maxima & pre-
tiosa nobis promissa donavit, ut per hoc effi-
ciamini Divinæ consortes naturæ, &c.* Aliun-
de verò quidquid attulimus ad exponen-
dam receptionem gratiæ habitualis, nul-
lius est distinctæ entitatis inter Deum
donatorem & animam donatariam. Ergo
id totum non explicat sufficienter quid-
ditatem gratiæ habitualis receptæ, quæ
revera donum quoddam est, illudque à
Deo productum & in anima receptum,
eodemque inhærens, ut communiter
omnes sentiunt.

Respondeo primò perfectiones intrin- 137.
secas cuiuslibet creaturæ esse etiam do-
na à Deo collata eidem creaturæ; nec
tamen capropter verificatur dona hæc

scorsim producta fuisse ut conferrentur. Nisi forte quis putet creasse Deum scorsim spiritualitatem , intelligentiam , sapientiam , libertatem , agilitatem , &c. actum dotes istas sic scorsim productas dono dedisse creaturis rationalibus : in quo casu non eorum incompositio , sed compositio physica clara esset : quia manifeste coalesceret ex pluribus entitatibus scorsim productis , ac mox conjunctis. Aliunde etiam nego quod ad solas res productas pertineat dari , quia pertinet etiam dari ad status , quos constat non esse productos : sic status intelligenti verum supernaturale & status volunti bonum supernaturale , d quos Deus actione sua inhabitativ simul & illuminativ , quin & deifica v transfert animam , non sunt status producti , & nihilominus sunt dona D . Ac tum quis neget bona monita & c filia , quæ quis dat alteri , esse dona , eaque non inferiora cæteris donis pecuniarum , præditorum , vestium , &c. nec tamen quemquam audivi qui diceret monita illa & consilia esse entitates sive formas à monente & consulente productas , ac tum receptas in eo qui monetur & consultatur. Ergo notiones doni adductæ non sunt nisi notiones doni vulgaris , quod in aliqua rerum corporalium distributio ne consistit , non autem in communicacione , de qua agitur , perfectionum spiritualium.

Respondeo secundò donum omnium 138.
præstantissimum , & maxime ac unice
in hac vita appetendum , esse donum
illud , per quod Deus supernâ suâ be-
nevolentia donat se ipsum animæ cog-
noscendum , amandum , credendum ,
sperandum , imitandum , &c. Deus au-
tem sic se animæ donat per hoc unum ,
quod intimius eam inhabitat , fulgidius
illuminat ; apertius vocat , fortius tra-
hit , suavius allicit , frequentius monet ,
oportunius arguit , &c. idque vel ac-
tualiter vel habitualiter providendo ei
tales actus & affectus , per quos natu-
ram nostram conformet suæ , & con-
formando deificet , & deificando affi-
liet , &c. Quare etiam in sacris scrip-
turis Deus neque pro hac , neque pro
altera vita promittit entitates ullas
à se distinctas , quibus gratificare ac
glorificare velit animam : sed proponit
spondetque se ipsum , sicut scriptum est
Joan. 14. *Ad eum veniemus & mansio-
nem apud eum faciemus :* Ecce donum gra-
tiæ habitualis obtinendæ in hac vita &
1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Ecce
donum gloriæ possidendæ in altera. Imò
affectus omnes virtuosos ac præsertim
supernaturales , quos Spiritus Sanctus do-
no dat hominibus non eis utique do-
ño dat , nisi quia dono dat se ipsum , ut
legitur de dono omnium maximo , quod
est Charitas , id est affectus charitatis. ^{ad} Rom.
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per 5.

Spiritum sanctum, qui datus est nobis. In
hoc autem dono, quo Deus donat se ip-
sum, nihil certe est, cuius entitas sit dis-
tinguita hinc à Deo donatore, hinc ab ani-
ma donataria. Ergo rursus dona illa vul-
garia, ad quorum notionem spectat enti-
tas, quæ neque sit entitas donatoris, ne-
que entitas donatarii, nihil habent quoad
hoc commune cum dono speciali superna-
turali, de quo agitur, gratiæ habitualis.

139. Respondeo *tertiò*, maxima illa ac pre-
 tiosa promissa nobis à Deo donata, de
 quibus loquitur beatus Petrus, non
 esse, sicut præsumit objiciens, entita-
 tes ullas seu entitutulas aut formulas ul-
 las productas: sed affectus & actus
 virtuosos, quos causat donata nobis à
 Deo cognitio ejusdem Dei & Christi
 Jesu Domini nostri. Quod ut verifi-
 cetur attendenda tantummodo sunt ver-
 ña, quæ præcedunt & subsequuntur
 textum præcitatum, sic itaque ait bea-
 tus Petrus. *Gratia vobis & pax adimplea-*
tur in cognitione Dei & Christi Jesu
Domini nostri. Ubi advertis gratiam ad-
impletam non esse nisi plenam cogni-
tionem Dei & Christi Jesu Domini
nostri, cognitionem videlicet non so-
lum actualem sed habitualem. sequitur,
Quomodo omnia nobis Divinæ virtutis suæ,
quæ ad vitam & pietatem donata sunt per
cognitionem ejus, qui vocavit nos propriæ
gloriæ & virtute. Hic adverte affectus
virtuosos ad pietatem viræ supernatura-
lis

lis spectantes , quos præmissa Divina cognitio secum assert. Tum addit , Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit , ut per hoc efficiamini Divinæ consortes naturæ , fugientes ejus , quæ in mundo est , concupiscentiæ corruptionem. Ecce modò conformitatem naturæ Divinæ nobis donatam per præmissos affectus Divinis consimiles , & omnino jam alienos à mundana concupiscentia. Ac denique subjungit. *Vos autem curam omnem subinferentes ministrare in fide vestra virtutem , in virtute autem scientiam , in scientia autem abstinentiam , in abstinentia autem patientiam , in patientia autem pietatem , in pietate autem amorem fraternitatis , in amore autem fraternitatis charitatem : hæc enim si vobiscum affint & superent , non vacuos , nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.* Quibus verbis ordinat Beatus Petrus affectus virtuosos , quos Divina cognitio nobis donata secum ingerit animæ : ac tum hortatur ad exercendos actus prædictorum affectuum , ac ejus præsertim qui est charitas , ne in nobis infructuosum sit donum illud præiosissimum divinæ cognitionis , in cujus participatione supernaturali habituali secum afferente bono omnes affectus ejusdem ordinis , consistit tota ejus veræ gratiæ , quam vocamus habitualem , receptio. Habes & apud Apostolum hæc verba ad tem nos-

tram. *Nos autem, inquit, non Spiritum
hujus mundi accepimus; sed Spiritum qui
ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo dona-
ta sunt nobis.* Quasi dixisset, ut sciamus
quæ à Deo donata sunt nobis ad nos-
tram justificationem, cogitemus dona-
tum esse nobis à Deo non donum enti-
tatulæ ullius fragilis, sed pretiosissimum
ac maximum donum Spiritus, qui ex
Deo est; aut quod idem est, donum
cujusdam Divini spiritus nobis im-
pressi, & cuius impressio sanctificatio
nostra est. Hæc autem impressio, quæ
est participatio impressa divinæ cogni-
tionis sive illuminationis supernatura-
lis habitualis, licet sit donata & re-
cepta, & inhærens, & informans ut ut
volueris, non tamen est entitas verè &
seorsim producta ut satis probatum fuit.
Vide supra art. 2. quæst. 1. ubi agitur
de dono gratiæ actualis. Atque ita jam
satis patet quid rei Physicæ sit gratiam
habitualē recipi & manere in anima
independenter ab ullo recursu ad hu-
jusmodi qualitatem productam, quam
Theologi Aristotelici propugnant & vo-
cant gratiam habitualē.



ARTICULUS III.

*Quid rei physice
sit gratiam habitualem amittit?*

ADVERTO animam esse capacem¹⁴⁰ habituum virtutis & vitii perteinere ac actuum, propterea scilicet, quod ex ipsis aut illis actibus repetitis non possint non subsequi isti aut illi affectus: per quos ad alterutrum iterationem inclinatur, & evadit prompta ac facilis; & hoc est acquisiisse habitum aut virtutis aut vitiis. Quia vero sicut non potest anima virtuosè simul & vitiösè operari, ita nec inclinari simul potest ad virtuosè & vitiösè operandū; hinc satis patet non minus incompossibiles esse quam actus, habitus virtuosos cum vitiōsis: unde infertur habitum vitiōsum qui accedit, delete virtuosum qui praecesserit, & reciprocē. Qualiter autem iste habituum lituræ fiant in anima, non puto posse explicatiū resolvi, quam analogicē ad lituras impressionum corporalium habitualium, in quibus habitus corporales consistunt: quia enim non novimus naturas intellectuales in seipsis, unde melius dig-

nosci possunt , quām ex consideratione quadam Analogica corporalium ? Hinc itaque intelligitur convenire naturis intellectualibus suas motiones , & subsecuentes ad hujusmodi motionum repetitionem impressiones habituales , ac præterea delebiles proportionaliter ad eum modum , quo delentur aliæ ab aliis impressiones habituales corporeæ , sicut & acquisibiles sunt ad eundem proportionaliter modum , quo corporeæ acquiruntur .

I41. Adverto rursus habitum virtuosum acquisitum , sicut non potuit nisi per plures actus virtuosos repetitos acquiri , ita non posse nisi per plures actus ad habitum vitiosum oppositum inducendum sufficientes deleti : unde fit ut licet non possit habitus virtuosus cum habitu vitiioso opposito conjungi , possit tamen conjungi cum aliquo ex actibus vitiiosis oppositis , imo cum multis , quando isti multi actus nondum sufficiunt ad impressionem talis habitus vitiosi . Quod etiam verificaretur de omni habitu morali virtuoso supernaturaliter infuso nisi obstatet pactum , quo Deus decrevit subtrahere animæ peccatri ci vel propter unicum actum vitiosum mortalem omnes & quoscumque habitus supernaturales morales ipsi simul cum habituali gratia ac propter habitualem gratiam præinfusos . Et hoc quidem pactum revelatum fuit atque expressum quam-

plurimis sacræ Scripturæ locis, quæ testantur animam, quæ perfectè dilexerit aut doluerit, recipere gratiam cum virtutibus quæ ipsam comitantur, & eandem gratiam videlicet habitualem simul cum predicto virtutum comitatu amittere statim atque peccaverit, eo scilicet peccato quod mortale est. Tantum adducam illud Isa. 55. Revertatur ad Dominum & misericordia ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Quibus verbis exprimitur accessus gratiæ, & illud Ezechielis 15. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Quæ verba exprimunt recessum gratiæ. Ubi autem loquor de accessu & recessu gratiæ predicitæ habitualis, intelligo utrumque de simultaneo accessu & recessu virtutum moralium, quæ illam comitantur. Dico moralium, ne confundam intellectuales, videlicet fidem & spem, quæ non nisi propter vitia ipsis opposita amittuntur. Vide decisionem Conc. Trid. hac de te sess. 6. Can. 28.

Adverso præterea habitus animæ tuum 142 virtuosos, tum viciosos, acquisitos etsi dicantur morales secundum quod pertinent ad mores, sive potius secundum quod evadunt mores ejusdem animæ absuetæ sic vel sic operari, esse nihilominus in ipsa physice impressos: quia enim accessus liberi animæ, quæ virtuosè aut viciose operatur, sunt physici, quomodo non erunt physici ac physice in eadem impressi habitus, qui acquiruntur per

h^{ab}itu's modi actuum iterationem? Quod adverto, ut hinc statim inferatur habitus & actus vitiosos non esse tantum privativè oppositos habitibus & actibus virtuosis: alioquin propter solam privationem alicujus habitus vel actus virtuosi in anima, adesset in ea habitus vel actus vitiosus oppositus, quod falsum est. Tum vero neque minus physici sunt, aut minus physice impressi in anima habitus cæteri, sive quos Deus ei naturaliter inserit, sive quos supernaturaliter infundit; unde obiter infero impressiones supernaturales habituales in anima receptas gratiæ & virtutum esse quidem amissibiles propter peccatum superveniens juxta pactum Divinum, quod supra explicui; sed non propter ullam peccati efficientiam quasi ad eas delendas physice sufficientem. Et ratio evidens est, quia impressio quæ fit in anima per peccatum non est nisi una & actualis, quæ delere habitualem oppositam non potest, ac præsertim supernaturalem, de qua agitur, seu gratiæ, seu virtutis cuiusvis gratiam comitantis.

143. His animadversis si recolitur ex articulo præcedente qualiter supernaturalis habitualis inhabitatio Dei in anima, operatur in ea gratiam habitualem & virtutes ipsius comites; sive quod idem est affectum supernaturalem universalem ad omne bonum & comprehensos sub illo affectus supernaturales particulares ad

bona particularia fidei, speci, charitatis, humilitatis, patientiae, &c. plana est via ad exponendum quid rei physicæ sit ea gratiæ prædictæ amissio, de qua nunc agitur. Nam si talis gratiæ receptio nihil est nisi accessio Dei intimius habitantis in anima, quid erit ejusdem gratiæ amissio nisi intimioris illius habitationis cessatio, quæ est discessio quædam Dei ab anima? *Quo pacto ad exponendam* physicam amissionem gratiæ habitualis nullo opus erit recursu ad destructionem ullius physicæ entitatis, qualis est intra genus prædicamentale qualitativum. Aristotelicum illa, quam vocant gratiam habitualem, quamque putant divinitus produci, ac postmodum destrui vel à solo Deo, vel etiam à peccato, cui nefcio quam inesse fingunt physicam efficientiam gratiæ corruptricem. Igitur hæc sit nostra assertio, videlicet physicam amissionem gratiæ habitualis, / idem puta de virtutibus quæ sunt gratiæ comites,) nihil physicum importare, nisi istam Dei ab anima discessionem, quæ est cessatio ejus intimæ supernaturalis, & habitualis divinæ inhabitationis, in qua ex adverso consistit tota ac totius gratiæ habitualis receptio. Hujus vero assertionis et si plurima occurrant motiva, eaque multum invicta, satis erit si duo vel tria, quæ videntur invictiora retulerim.

Primum itaque metivum eruo ex hoc, 144
quod quamvis destruenda supponatur en-

titas illa qualitativa , quam vocant gratiam habitualē , salvatur nihilominus quidquid spectat ad omnem seriem & dignitatem effectuum gratiæ veræ habitualis , dummodò si salva intimior ista Divina supernaturalis habitualis inhabitatio , quam reprobavit Deus diligentibus se Jo 14. Igitur ubi expoundendum est quid rei physicæ sit amissio gratiæ habitualis non ad illius entitatis destructionem , sed ad intimioris eius inhabitationis divinæ cessationem verè recurritur . Quam consequientiam puto evidentem ; sed neque minoris evidentiæ puto futuram esse propositionem antecedentem , unde insertur , postquam est endero inhabitationem istam Divinam intimorem , quæ ex hypothesi perseveraret , futuram perinde ejusdem activitatis & operationis in anima : quid enim utriusque obstaret destructio , quæ patiter supponitur , entitatis illius ; vel maxime quia entitas illa antequam destrueretur , nihil conferebat exercitio Divinæ inhabitantis virtutis ? At si perinde perseveraret tum activitas , tum operatio Divinæ inhabitationis , anima perinde moveretur per eam habitualiter , id est , perinde illuminaretur per eam habitualiter : tum verò sic illuminata conformaret naturæ Divinæ per assimilationem luminum & effectuum : sic autem conformata affiliaretur Deo : ac tandem sic affiliata abundaret iis omnibus præro-

gat ipsis ac dotibus, quas secum affert gratia habitualis. Itaque omnes esse fuisse gratiae habitualis perseverarent iidem sola salvâ perseverantiam Divinæ inhabitacionis, de qua dictum est. Neque video quid non sit urgentissimum in isto motivo, propterea quod inseparabilis sit notio praedictæ intimioris divinæ inhabitacionis à notione intimioris Divinæ motionis; sicuti rursus hæc notio inseparabilis est à notione intimioris illuminationis, videlicet supernaturalis, quæ ab anima excipitur, & excepta causat verè in ea quidquid falsò cogitatur tanquam causatum ab entitate, cuius destructionem supposui ut hinc ostenderem quād extra-nea sit illius jactura amissioni, de qua agitur, gratiae habitualis.

Alterum motivum, quod adjicio, de-¹⁴⁵
sumitur ex oppositione, quæ est inter receptionem gratiae habitualis, & amissionem ejusdem gratiae. Quia enim receptio illius est quædam creatio, ratione cuius anima evadit nova creatura, videlicet supernaturalis, & novam supernaturalem in Deo vitam agit; sic amissio illiusmet gratiae non est nisi quædam annihilationis prædictæ creationi opposita. Unde evidenter sequitur sufficere ad physicam amissionem gratiae habitualis physique explicandam id quod sufficit ad physique explicandam physicam annihilationem status illius supernaturalis, in quo anima creaturæ per receptionem gratiae ha-

bitualis. Atqui ad istam annihilationem
sic explicandam satis est si adducitur es-
satio intimioris illius inhabitacionis Di-
vinæ supernaturalis, de qua dictum est:
nempe quia status supernaturalis depen-
det à concursu supernaturali, sicut status
naturalis dependet à concursu naturali
Divino. Quis autem nescit annihilationem
illicò fore animam quoad statum suum
naturalem, si Deus vel per unicum ins-
tans subtraheret concursum naturalem,
quo statum illum animæ naturalem con-
servat? Ergo & illicò annihilaretur ani-
ma quoad statum suum supernaturalem
prædictum, si subtraheret Deus concur-
sum supernaturalem, quo conservat su-
pernaturalem illum statum animæ. Sed
concursum supernaturalis quo Deus con-
servat statum illum supernaturalem, in
quo anima creatur per gratiam habitua-
lem, nihil aliud est quam præmissa inti-
mior Divina inhabitatio. Ergo denique
per solam subtractionem sive cessationem
hujus inhabitacionis explicanda est phy-
sice, nec aliter explicari physice potest
totæ physica amissio gratiæ habitualis:
maxime vero quia subtracto isto intimio-
ris Divinæ inhabitacionis concursu, si-
nge quemcumque alium concursum cuius-
vis entitatis productæ manentis adhuc in
anima, & adverteres quam insufficiens sit
ad providendum animæ statum Divinum,
sive supernaturalem, per quem anima
gratificatur Deo simul & sanctificatur.

Quam sententiam fieri mat decisio illa
Conc. Trid. sess. 6. c. 4. juxta quam sanc-
tificatio nostra nihil aliud est , quam
translatio ab statu filiorum Adæ in statum
gratiae & adoptionis filiorum Dei.

146.

Tertium tandem motivum suggestum
ex inassignabilitate causæ , quæ destruat
entitatem illam , quam vocant gratiam
habitualē. Entitas siquidem illa vel
destrueretur tantum à Deo in ultio-
nem peccati , ut multi afferunt ; vel
destrueretur etiam à peccato quasi ad-
versus illam pugnante & prævalente ,
ut alii ac non pauciores fingunt. At
si Deus illam destrueret , destrueret
utique illam liberè , & sic posset non
destruere : atque ita posset cohabitare
gratia habitualis cum peccato in anima
peccatrice : quâ de re inter Theolo-
gos non convenitur ; vel maximè quia
talis anima neque esset in peccato , quia
deificata per gratiam ; neque esset in gra-
tia , quia mortificata per peccatum ; & sic
contra hypothesis non cohabitarent
gratia & peccatum. Sed neque singi po-
test aut certè non debet gratiam destrui
à peccato : quia peccatum neque est
eiusdem ordinis cum gratia , sed mul-
tò inferioris : quare pugnare adver-
sus illam ac multò minus prævalere non
potest ; neque est nisi actus , qui per-
sevincere non potest habitum , vel ma-
ximè si fuerit habitus iste ordinis supe-
rioris , quem esse supponitur habitum.

gratiæ. Ergo in amissione gratiæ habitualis non est fingenda fieri ulla destruc-
tio entis anteà producti: sed sola cogi-
tanda est fieri discessio Dei ab anima,
propter præviam animæ à Deo disces-
sionem, quæ accidit per peccatum.
Quia enim per peccatum anima disce-
dit à Deo, Deus in ultionem hujus
discessionis discedit quoque ab anima,
& longè sit ab ea, id est, cessat ha-
bitare ac manere in ea, qualiter habita-
bat in ea & manebat: videlicet intime,
gratè, amicè, operatoriè, fructuosè,
illuminativè, sanctificativè, deificativè, &c.

147. Quæ omnia ad physicam intelligen-
tiam gratiæ habitualis amissæ hactenus
dicta optime quadrant cum frequentis-
simis iis sacrae scripture textibus, quibus
sive comminatur Deus recessum suum ab
anima peccante, sive conqueritur hæc
anima & acerbe sentit illum Dei à se
recessum, quo nulla est terribilior de-
relictio, nulla certior origo malorum
omnium. Hinc legitur deuter 31. Popu-
lus iste derelinquet me, & irriuum faciet
fœdus, quod pepigi cumeo, & irascetur fu-
ror meus contra eum, & derelinquam eum,
& abscondam faciem meam ab eo, & erit
in devorationem: invenient eum mala om-
nia & afflictiones, ita ut dicat in illo die,
vere quia non est Deus mecum, invenient
me hæc mala, &c. Hinc etiam Saul inter-
rogans Samuelem per pythonissam sus-
citatum de eventu vario belli quod
pugna-

pugnabat adversus Philistium, & hæc
pauca præfatus Deus recessit à me, hoc
à Samuele responsum accepit, Quid me
interrogas, cum Dominus recesserit à te,
& transierit ad amulum tuum & faciet enim
tibi Dominus sicut locutus est in manu mea,
& scindet regnum tuum de manu tua, &c.
Propterea orabat Propheta Regius, Deus
ne elongeris à me: & alibi plorabat di-
cens, ut quid Domine recessisti longe. Ita-
que recedit anima à Deo: recedit &
Deus ab anima; sed scito recedere nun-
quam Deum ab anima, nisi hæc ab illo
prior recesserit, sicut definivit Conc. sess.
Trid. his verbis. Deus suā gratiā semel jus-
tificat̄ non deserit, nisi ab eis prius deje-
tur. Quæ verba habes apud D. Augusti-
num millies reperta: neque ab illis
abludit sententia hæc ejusdem S. Docto-
ris plane aut̄a. Te nemo amittit, nisi qui
dimittit. lib. 4. confess. cap. 9.

Verū ecce jam tandem ex eodem 148.
Sancto Doctore clarissimam expositi-
onem totius hujus nostræ doctrinæ, quā
hactenus statutum est receptionem gra-
tiæ habitualis in sola Divina intimiori
mansione illuminativa, sicut & ejusdem
gratiæ amissionem in sola illius cessatio-
ne, quæ Dei discussio est, esse positam.
Non sic homo, inquit, à Deo justus fit, ut
cum ab eo factus fuerit iustus, abscedat; sicut
à corporis medico sanatur & abit. Non ita
Deus operatur hominem iustum, id est iusti-
ficando eum, ut si absterrerit, maneat in ab-

Q

sente quod fecit : sed potius sicut aër præsente lumine non factus est lucidus , sed fit : quia si factus esset , non fieret ; sed etiam absente lumine lucidus maneret. Sic homo à Deo sibi præsente illuminatur , absente autem continuò tenebratur , à quo non locorum intervallis , sed voluntatis aversione disceditur , &c. Igitur ad mentem D. Augustini amissio gratiæ habitualis nihil aliud est quam obtenebratio per discessionem Divinæ præsentiaæ illuminatricis causata : sive quod in idem coincidit , nihil aliud est quam hujus Divinæ præsentiaæ discessio , ad quam obtenebratio hæc subsequitur. Hæc autem obtenebratio non est destruclio luminis supernaturalis , quia lumen illud supernaturale indestructibile est ; sed est sola subtractio illius ad eundem modum , quo obtenebratio nocturna non est destruclio lucis solaris , sed sola ejus privatio. Cedit autem anima in talem obtenebrationem , quia avertit obtutum suum ab illo supernaturali lumine , aut quod pejus est , præfert tam Divino splendori lutem subobscuram nescio quam , sive potius malignam accensæ concupiscentiaæ fuliginem ; & hoc quidem peccatum est , in cuius vindictam subtrahit illicè Deus sanctitatem sui lumenis. Tum vero anima , quæ prius ambulabat in luce Divina , per quam deificabatur , incipit ambulare in tenebris , propter quas evadit impia , ac ut ita loquar , diabolificatur , quia non jam Dei , sed

diaboli spiritu agitur, tali videlicet per quæ afficitur ad omne malum, quæ prius affecta erat ad omne bonum per propensiones sibi ad illud impressas à lumine Divino & intime & supernaturaliter affulgente.

Neque opus est repeti qualiter lumen 149.

istud supernaturale imprimat animæ omnes bonos affectos Divinis consimiles; nec qualiter hinc accidat ut efficiatur consors naturæ Divinæ propter supernaturalem seu Divinam morum suorum reformationem. Sed non licet omitti expressam quæ occurrit hac de re S. Clementis Alexandrini sententiam paedag.lib.

1. *Una enim est, inquit hæc gratia illuminationis, quod non sint iidem mores, qui erant ante quam lavaremur, ubi loquitur de illuminatione illa supernaturali baptismali, id est deilluminatione illa supernaturali habituali, quæ est gratia habitualis per baptismū recepta. Igitur receptio gratiæ habitualis nihil est nisi receptio talis illuminationis, quæ est præstantissima habitualis operatio Dei habitantis in anima. Tum vero ut intelligas & amissionem gratiæ habitualis nihil esse nisi prædictæ illuminationis cessationem, audi non minus expressam S. Irenæi autoritatem alteram lib. 4. adversus hæreses cap. 26. Sic æternum Dei qui sugiunt lumen, quod continet in se omnia bona, ipsi sibi causa sunt ut æternas inhabent tenebras destituti omnibus bonis, sibi metipuis causa hujusmodi habitationis facti. In quibus ver-*

bis advertere est accuratum compendium totius doctrinæ à nobis hactenus stabilitæ circa receptionem & amissionem gratiæ habitualis non consistentes nisi in illuminatione Divina aut perseverante, aut cessante in anima. Superest ut nonnulla quæ adversus hanc eandem doctrinam opponi possunt, discutiantur.

150. Opponi siquidem potest id omne, quod amittit suum esse, destrui per amissionem sui esse: alioquin amitteret suum esse & non amitteret: atqui quando anima amittit gratiam habitualē, hæc gratia amittit suum esse: ergo quando anima amittit gratiam habitualē, destruitur esse gratiæ habitualis: unde consequitur amissionem gratiæ habitualis importare destructionem alicujus entitatis, ejus videlicet entitatis sive qualitatis accidentalis, cui communiter tribuitur esse & vocari gratiā habitualē. Tum verò neque deest causa efficiens, cui destructio hæc tribatur: adest enim peccatum, quod est naturæ omnino contrariantis atque incompatibilis: quotiescumque autem concurrunt duo quæ in hunc modum sibi contrariantur & incompatibilia sunt, necesse est ut alterum ab altero destruatur. Atque ita peccatum destruet gratiam, & illam quidem illicet destruet, ne sit vel pro minimâ temporis morulâ participatio iniquitatis cum justitia, aut tenebrarum cum luce societas ulla in eodem subjecto.

Respondeo primò nihil esse nisi manifestam petitionem principii in hoc toto ratiocinio : quia non infert destructio nem gratiæ habitualis amissæ , nisi ex præsupposita productione ejusdem receptæ . At hoc ipsum est quod revertitur , & falsi convictum fuit toto articulo præcedente , ubi ostensum est receptionem gratiæ habitualis aliud nihil esse , quam receptionem improductam Divinæ intimioris inhabitatio nis illuminatricis patiter improductæ . Itaque potius è contra affirmandum est non destrui ullum physicum esse gratiæ habitualis quando amittitur , ex eo quod nullum tale esse producatur , quando recipitur . De cætero autem sicut potest acquiri aliquis status absque interventione alicujus entitatis productæ , ita potest amitti absque occursu alicujus entitatis destructæ . Quod si evidens est in acquisitione & ammissione status localis , per quem res corporea est hic aut illie ; supra aut infra ; ad dexteram aut ad sinistram , &c. multò evidenter erit in acquisitione & ammissione status intellectuialis , per quem anima est sic vel sic illuminata ; & hac vel illa illuminatione ordinis aut naturalis aut supernaturalis frustrata Quid autem est acquisitione gratiæ habitualis , nisi acquisitione status Divini supernaturalis , propter quem habet anima Deum iahabitantem , & inhabitatione sua il-

luminantem, & illuminatione sua operantem in ipsa omnem bonum affectum justitiae & sanctitatis: id est omnem bonum affectum fidei, omnem bonum affectum spei, omnem bonum affectum charitatis, omnem bonum affectum patientiae, humilitatis, mansuetudinis, &c. Atque hic est felicissimus & alacrimus animæ status, cuius non video quomodo non statim concipiatur amissio per solam cessationem præmemoratae Divinæ inhabitacionis. Quid autem in ista cessatione occurrit, quod cogitari possit destructum? Ergo quando gratia habitualis amittitur, nihil est quod destruatur: vel maxime quia per hanc gratiam vere acceptam non licet intelligere ex D. Dyonisio aliud quam sacratissimam & ineffabilem operationem, quam *Divinus in nobis* status efficitur. Actum addit, hic status *Divina nativitas* est; & postmodum docet neminem posse operari *Divina*, qui hunc statum non sit consecutus; quia unusquisque ea solum agit, quæ substantiae statusque sui sunt. In quibus verbis nihil est quod non omnino consonet doctrinæ hactenus stabilitæ circa physicam hinc receptionem hinc amissionem gratiæ veræ habitualis. Lege caput secundum Ecclesiastice Hierarchiæ.

^{152.} Respondeo secundò ex contrarietate quam Adversarius fingit inter gratiam, de qua agitur, & peccatum, non rec-

te consequi eventurum ut peccatum gratiam destruat , nisi turpius adhuc finixerit peccatum à Deo juvari ut prævaleat gratiæ. Præterquam quod non video quomodo pugnare mutuò possint , nisi quandiu pugnant cohabitent : sed neque video eur tam cito absolvatur hæc pugna , si iterum non fingitur robustissimas esse vires peccati , & è contra vires gratiæ debilissimas. Certe vero in toto isto conflictu , ut in conflictus exitu nihil non est ridiculum , nec alterutrius quicquam tale venire in mentem nisi eorum potest , qui propter male sana principia Aristotelicæ prædicamentalis philosophiæ assueti sunt cogitare qualitates pugnantes in se invicem , ac sui invicem destructivas. Præterea neque peccato sufficit ad gratiam destruendam sola incompatibilitas , quam habet cum illa : aut certe ex hoc , quod tenebræ sint incompatibles cum luce , cogitandum foret tenebras esse lucis destructivas ; & mortem similiiter esse destructivam vitæ ob suam incompatibilitatem cum illa ; &c. quæ & similia cogitare , quid nisi fingere est pugnas & victorias chimærarum ? Deinde vero peccatum , ut dictum est supra n. 146. non est nisi actus , qui contrarietate quacunque suâ destruere non potest habitum oppositum , ac multò minus supernaturalem infusum. Quare si nihilominus subsequitur ad

commissionem peccati amissio gratiæ , non est reputandum id procedere ex ulla peccati efficientia physica gratiæ , ut ita loquar , enecativa ; sed ex vindicta , quâ Deus in ultionem peccati commissi subtrahit animæ , quæ pecavit , concursum gratiæ suæ , id est suæ inhabitationis supernaturalis illuminativæ , ut jam satis intelligitur.

153 Objici etiam potest gratiam , de qua agitur , sæpe amitti inamissâ fide : quod utique non potest verificari nisi concipiatur fidem conservati , gratiam vero non conservari . At gratiam non conservati , idem est ac gratiam destrui : quid enim opponitur conservationi , nisi destructio ? Ergo in hoc casu tam verè destruitur gratia , quam verè non destruitur fides . Unde rursus manifestum est amissionem gratiæ non esse simplicem ac nudam cessationem Divinæ supradictæ inhabitationis : quia enim in ista inhabitacione consistit , ut explicuimus , non sola gratia ; sed simul omnis virtus infusa , quæ gratiam comitantur ; quid clarius , quam cessante tali inhabitacione amitti simul gratiam & virtutes omnes illius socias : vel si nihilominus amissâ illâ non amittitur aliqua ex ipsis , nec illam , nec istas , in tali inhabitacione consistere ? Quare singularis quedam erit entitas tum gratiæ , tum cujuslibet virtutis gratiam comitantis , unde accidet destrui

entitatem illam , quæ est gratiæ , indestructâ istâ , quæ est fidei. Et sic amissio gratiæ verè est destrœctio aliquis entitatis , id est qualitatis habitualis supernaturalis , ut in scholis theologicis vulgare est ac semper erit : quomodo enim non imposterum prævalebit antiqua illa præventione hodiernæ huic nostræ adinventioni , quâ omnino aliter explicatur amissio gratiæ habitualis?

Respondeo primò statum universalem 154. animæ divinitus justificatæ complecti sub se plures status particulates , secundum quos afficitur & inclinatur ad operationes virtutum particularium , ut in primis ad operationes fidei. Quare amitti gratiam inamissâ fide nihil rei physicæ aliud est , quam amittere animam cæteros status supernaturales præter illum , quo afficitur & inclinatur ad credendas res fidei. At quia iste status non est res quæ fuerit producta , non conservatur proinde ad instar rei : sicut nec cæteri status , quia non sunt res quæ fuerint productæ , destruuntur ad instar rerum , aut conservantur ad instar rerum , quandiu conservantur. Potest itaque aliquid conservari aut destrui vel ad instar status , vel ad instar rei : sic lapis conservatur ad instar rei ; sed motus lapidis conservatur ad instar status : uti similiter destruitur motus ejusdem lapidis ad instar status ; & idem lapis destrueretur ad instar rei , si Deus

illum annihilaret , quia sic cessaret esse res , & evaderet in nihilum rei. Quod autem dico de motu locali lapidis , id transfer ad omnem motum intellectualis animæ , & ad vertes qualiter pertineat tum ad gratiam , tum ad virtutes gratiæ comites seu conservari seu destrui , videlicet non ad *instar* rerum , sed statuum . Hinc etiam ad vertes sensum distinctivum , in quo accipimus quidquid antehac assertum fuit de gratia habituali nec productâ , quando recipitur ; nec destructâ : quando amittitur.

Respondeo secundò multò facilius in

155. nostra , quām in opposita sententia explicari amissionem gratiæ inamissâ fide: quia enim per inhabitationem Divinam illuminativam anima in multiplici statu supernaturali constituitur , ut in eo quo supernaturaliter afficitur ad amandum , & in eo quo supernaturaliter afficitur ad credendū , &c. quid vetat inhabitacionē illam cessare quoad impressionē cujusdam hujusmodi affectus , & non cessare quoad impressionem alterius ? Habet supra n. 126. exemplum quod ad præsentem casum non inutiliter refers , amici apud amicum hospitantis & illum juvantis suo consilio simul ac suo colloquio recreantis. Itaque sicut nihil vetat quominus hos- pes hospiti suo adimat juvamen sui consili , quin subtrahat hilaritatem sui collo- quii , & sic de aliis beneficiis , quæ po- test vel divisim vel conjunctim largiri , sic

etiam Deus qui per inhabitatem suam plurima largitur beneficia affectum supernaturalium, quos animæ generatim ac particulatim imprimit, potest cessare ab impressione unius, continuata impressione alterius, uti cessare ab impressione affectus amandi, continuata impressione affectus credendi: quo pacto anima in amissâ fide charitatem amitteret. Et sic quidem hic casus multò facilius explicatur in sententia nostra, quam in opposita: in opposita enim statuitur gratiam esse formam animæ, & esse radicem formulæ, quam vocant fidem: si igitur fides opus habet radicari in gratia, quomodo non manente gratiâ, manebit fides? Evidem id non minus impossibile captu est, quam non manente anima, manere intellectum, qui in anima pariter radicatur. Tandem ex depositione quæ fit paulatim in dies præjudiciorum Aristotelicorum circa formas accidentales, rationabilius conjiceretur, fore ut brevi prævaleat antiquæ præventioni hodierna adinventio: si tamen hodierna est; & non potius coæva antiquioribus Sanctorum omnium Patrum de Divina Gratia expositionibus, ad quas multò propriùs veriusque accedit expositio nostra hactenus stabilita, quam quidquid vulgo assertur in contrarium de formulâ habitualibus & attinentibus ad qualitatem prædicamentalem Aristotelicam.

Nec opponi præterea non potest quid.^{156.}

quid ad receptionem gratiæ habitualis exponendam hucusque attulimus ex Sacra Scriptura aut ex Sanctis Patribus de Deo habitante & manente in justis , sicut etiam quidquid ad explicandam ejusdem gratiæ amissionem collegimus de Deo discedente ac refugiente à peccatoribus , id totum nihil aliud significare juxta communem & in Ecclesia vigen- tem interpretationem , quām quod Deus infundat justis qualitatem supernatura- lem , quæ est & vocatur gratia habitualis ; subtrahat verò illam & deneget peccato- ribus . Hæc autem communis interpre- tatio solidissime stabilitur in hoc quod Deus , qui sic intime ut intimius nihil cogitari possit , penetrat omnem animam sive piam , sive impiam , non possit per se ipsum accedere magis minusve ad illam ; sed neque ullatenus recedere ab ea possit . Unde si nihilominus accedere ad eam aut recedere ab ea dicitur , id non nisi referri ad gratiam potest , quæ est participatio divinæ naturæ : ita quod Deus intelligendus sit accedere ad eam animam , cui hanc naturæ suæ participationem contulerit ; aut è contraria recedere ab illa , cui hanc eandem partici- pationem abstulerit . At quia neque con- ferri neque auferri hæc participatio po- test sine aliqua hinc productione , hinc destructione , sequitur nec infusionem gratiæ fieri , si non producitur entitas , quæ est gratia ; nec obtingere ejusdem gratiæ

gratiæ amissionem ; si non destruitur hæc ipsa entitas. Ergo amissio gratiæ habituæ lis est vera quædam ac realis destructio.

Respondeo primò , & fateor nullatus posse intelligi de accessu aut recessu locali accessum Dei animam , aut recessum ejusdem Dei ab illa , propter immensitatem quæ intimè adest illi ubique ac semper , & nunquam ac nullibi potest abesse. Sed numquid etiam fæbitur Adversarius posse Deum accedere ad animam accessu operativo , quod est operari in ea aliquid quod anteà non operabatur : & similiter posse recedere Deum ab anima recessu operativo , quod est cessare operari in ea id quod priùs operabatur ? Neque enim Deus operatur semper in nobis eadem opera sive naturæ sive gratiæ : atque ita semper quidem adest nobis per eandem suam immensitatem , sed non per eandem suam operationem , sive sit ordinis naturalis , sive supernaturalis . Unde latius intelligitur accessum supernaturalem Dei ad animam non esse nisi accessum supernaturalis ejusdem operationis divinæ , cuius cessatio accipienda est pro recessu opposito . Et ecce verba D. Aug. sic apertissimè sentientis . Ecce facit in sanctis cum Patre & Filio sanctus etiam Spiritus mansionem intus , utique tanquam Deus in templo suo . Deus Trinitas Pater , Filius , & Spiritus Sanctus veniunt ad nos . dum venimus ad eos ; ve niunt subveniendo , venimus obediendo ;

R

veniunt illuminando, venimus intuendo,
&c. ut referebam supra n. 123. Itaque
Deum venire ad animam nihil aliud est
quàm Deum subvenire animæ, illumi-
nare animam, sanctificare animam &c.
& hæc est subveniendi, illuminandi,
sanctificandi, &c. Divina supernaturalis
operatio, in cuius habitualitate recepta
consistit receptio gratiæ habitualis, cu-
jus proinde amissio non est nisi mera ces-
satio talis operationis, quâ Deus animæ
subveniebat, illuminando, sanctificando,
deificando, &c.

158. Respondeo secundò nihil mihi videri
magis à legitima interpretatione Theo-
logica alienum, quàm quod ea sacræ
Scripturæ loca, quæ sanè extant pluri-
ma, de accessu Dei ad animam quæ dile-
xerit, & de recessu ejusdem Dei ab ani-
ma quæ peccaverit exponantur tanquam
nihil significantia nisi accessum & reces-
sum alicujus entitatis accidentalis modò
productæ, modò destructæ. Quia enim
hic agitur non de sensu allegorico,
sed de sensu litterali in quo debeant
intelligi loca illa; quæ ratio physica
est, ob quam dicatur accedere; aut re-
cedere Deus, quando non accedit aut
non recedit nisi entitas, quæ physice
non est Deus? Neque obstat quod en-
itas illa reputetur participativa Divinæ
naturæ; nam præterquam quod falsa est
participatio hæc, quæ entitati illi af-
fingitur, ut probabitur in articulo se-

quente , non propterea minus distin-
gueretur à Deo entitas illa quoad suum
esse physicum , de quo agitur : sicuti
quoad suum esse physicum non minus
à me differt effigies mea , quam effi-
gies aliena , licet quoad esse similitu-
dinarium minus differat. Ergo neque
physice accederet Deus ad animam ,
neque physice ab illa recederet , si tan-
tum recederet physice ab illa , aut tan-
tum accederet ad illam physice entitas ,
quæ physice non est Deus , quantum-
cunque alias Deo similis. At è contra
optime explicatur quid rei physicæ sit
Deum accedere ad animam & recedere
ab anima recurrente ad supradictam su-
pernaturalem illuminativam operatio-
nem , quam Deus in illa exercet , aut
non exercet. Quia verò neque in tali
exercitatione , neque in cessatione ta-
lis exercitationis occurrit ulla entitas ,
quam opus sit sive produci , sive des-
trui : ideo neque receptionem gratiæ
habitualis ad ullius entitatis produc-
tionem , neque ejusdem gratiæ amis-
sionem ad destructionem ullius entita-
tis referimus ; vel maxime quia talis
entitas , ut deinceps probabitur , non mo-
dò non esset idonea ad animam grati-
ficandam habitualiter sive sanctifican-
dam , sed esset prorsus inepta ac im-
potens.



ARTICULUS IV.

*QUID REI PHYSICÆ
sit gratiam habitualem esse justifi-
cavitam, seu sanctificativam
anima, in qua recipitur?*

259. **P**RÆMITTO virtutem consistere in affectu ad actus virtuosos ejus generis aut speciei, cuius dicitur *virtus*. Sic fides consistit in affectu ad actus fidei; spes in affectu ad actus spei; charitas in affectu ad actus charitatis; patientia in affectu ad actus patientiae; &c. Hinc charitas apud D. Augustinum definitur in lib. de moribus Ecclesiæ c. 11. his verbis. *Charitas Dei*, inquit, *hic est dicta virtus, quæ animi nostri rectissima affectio est, quæ conjungit nos Deo, quâ eum diligimus*. Omnis itaque virtus est animi nostri rectissima affectio, quæ conjungit nos Deo: tum si addis hæc verba, *quâ eum diligimus*, ecce charitatem: si profers hæc alia, *quâ in eum credimus*, ecce fidem: si aliter dicis, *quâ in eum speramus*, ecce spem: &

ita de cæteris. Quia vero nulli actus
virtuosi essent, nisi essent justi & sancti,
secundum quod justitia & sanctitas
sunt virtutes morales generales, quæ
ordinant omnes actus nostros ad Deum
juste ac sancte serviendum, sicut legitur
lucæ 1. *Serviamus illi in sanctitate &*
justitia coram ipso omnibus diebus nostris:
ideo facile concipitur affectus virtutum
particularium contineri omnes sub utro-
que isto generali affectu justitiae & sancti-
tatis, sive potius sub hoc uno gene-
rali affectu justitiae & sanctitatis. Et ra-
tio est; quia licet justitia & sanctitas
differant secundum rationem, prout il-
la ad rectitudinem actuum, hæc vero ad
munditiam illorum specialiter attendit,
nihilominus pertinet utraque ad indivi-
sibilitatem realem unius communis af-
fectus, ut patet ex modo loquendi in
sacris scripturis passim & apud earum
interpretes receptissimo, juxta quem
justus pro sancto, & sanctus pro justo
indifferenter accipiuntur: sicut etiam
apud Theologos indiscriminatim profer-
tur animam *justificari* aut *sanctificari* per
gratiam habitualem, de cuius vi jus-
tificativa, seu sanctificativa nunc agi-
tur. Attamen hic frequentius usurpabo
vocem *sanctificandi*, quia sanctitas su-
peraddit justitiae excellentem virtutis
firmitatem ac munditiam, quæ proprius
ad imitandam supereminenter Dei per-
fectionem, & ejusdem filiationem per-

festius possidendam acceditur. Hinc legitur levit 11. Sancti esote, quia ego sanctus sum. Et luc. 1. Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei, & 1. ad Thessal. 4. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, quâ, ut dixi, proprius ad Divinitatem acceditur, quia sanctitas est absque labe intemerata puritas, ut legitur apud S. Dyonis. c. 12. de Divinis nominibus.

160. Præmitto rursus sanctitatem, quam Deus per gratiam habitualem confert animæ, non esse sanctitatem tantummodo imputatam à Deo; quasi Deus animam non in se sanctam, habeat nihilominus pro sancta, & diligit pro sancta, & affiliet pro sancta, & præmet pro sancta, &c. sic enim anima non esset vere sancta, sed tantum reputative & æstimabiliter apud Deum: quod omnino pugnat cum plurimis scripturæ testimoniosis, ac præsertim & evidenter cum istis *Sanctifica eos in veritate . . . & pro eis ego sanctifico me ipsum*, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Joan. 17. & ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso, ut essemus sancti. Et 1. ad Thessal. 4. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra. Atque ita sanctiras, quâ sanctificatur anima per gratiam, est vera & intima sanctitas animæ: vel maxime quia sicut virtutes particulares animæ sunt affectus ejus-

dem animæ particulares ad particularia bona , quæ sunt bona fidei , bona spei , bona charitatis , bona patientiæ , bona humilitatis , &c. sic sanctitas , quæ est universalis quædam virtus moralis , est affectus quidam universalis ad bona omnia , & ad summum bonorum omnium , quod est Deus. At nihil tam intimum animæ cogitari potest , quam omnis affectus ejusdem animæ : & ideo nihil absurdius fingi potuit , quam quod à nonnullis hæreticis confitum fuit , videlicet sanctitatem animæ non esse propriam ipsius sanctitatem & eidem intrisecam , sed tantum extrinsecam & imputatam. Quia vero iste affectus sanctitatis causatus in anima per gratiam , est hoc ipso adventitus & desuper impressus ; hinc deinceps probabitur gratiam habieualem per hoc unum esse formaliter ac vere sanctificativam animæ , per quod est impressiva talis affectus. Vide supra n. 76.

Præmitto insuper sanctificationem , 161.
de qua agitur , considerandam occurtere & ex parte Dei sanctificantis , & ex parte animæ sanctificatae. Tum vero quia sanctificatio ex parte animæ sanctificatae accepta nihil aliud est quam impressus ipsi supernaturalis quidam affectus ad sancte vivendum , hinc illa eadem sanctificatio ex parte Dei sanctificantis considerata nihil erit nisi Divina quædam operatio imprimenti ani-

mæ talem affectum : & hæc est ope-
ratio per quam Deus animæ commu-
nicat sanctitatem suam ; aut quod idem
est, per quam gratificat habitualiter
animam. Hinc gratificatio Divina ha-
bitualis ut ex parte Dei est **sanc-**
titas effectiva, sic ex parte animæ est **sanc-**
titas effecta, ut verbis utar S. Dyo-
nisii qui gratiam habitualem sic vocat
Dei operatione effectam simul & effecti-
vam sanctitatem. Eccles. Hier. c. 4. sed
ut multò clarius pateat hæc doctrina,
audiendus est D. Basilius, qui lib. 5.
adversus Eunomium fusè explicat qua-
liter gratificatio Divina habitualis ni-
hil sit nisi communicatio sanctitatis su-
pernaturalis conformantis animam &
consignantis per impressa sui vestigia ad
imaginem Dei. *Verum nec creatura sic*
misera est, inquit, *nec Deus sic im-*
potens, *ut sanctam participationem ad*
creaturas non transmittat. Deinde hanc
participationem impressam dilucidat ab
exemplo impressionis corporeæ. Sic qui
auream aut æneam statuam fingit, mate-
riam cepit, in exemplum respexit, rece-
pit rei quam speculatorus est figuram, hanc
in materiam impressit quomodo ad
similitudinem Dei creatura ascendet, nisi
Divino charactere participarit? *Divinus*
verò character non sicut humanus, sed
vivens & vere ens, imago imaginis ef-
ficiens, quā omnia quæ participant, ima-

Quid rei physica sit grat. &c.

101

gines Dei constituuntur, &c. Ex quibus verbis satis constat D. Basilius ad nihil aliud unquam retulisse seriem omnem ac plenitudinem nostrae sanctificationis, quam ad supernaturalem aliquam Divinam operationem immoresivam ejus ad sancte vivendum affectus, qui est sola nostra ac vera sanctitas.

At adversarii quamvis forte non negant posse Deum per aliquam suam operationem sanctificare animam immediate, negant tamen dari aliquam hujuscemodi operationem, per quam Deus immediate illam sanctificet: ideoque asserunt Deum ad animam sanctificandam producere in illa entitatem aliquam supernaturalem, scilicet habitualem de genere qualitatis prædicamentalis, cuius formaliter inhaesione committat totum animæ sanctificandæ ministerium. Quare si è contra ostensum fuerit sanctificationem animæ pendere necessariò ab aliqua operatione Divina immediata; & aliunde non posse etiam Divinitus pendere à tali entitate, quam fingunt productam, patebit via tutissima explicandi independenter ab ulla tali entitate accidentaliter producta quid rei physica sit gratiam habitualem esse sanctificatam animæ. Igitur quatuor afferam rationes ad id utrumque, quod dixi, ostendendum, ac postmodum ex his consurget expositio idonea, de qua agitur.

163. Prima ratio hæc est. Non potest anima sanctificari nisi per actionem, cui conveniat esse vere ac proprie sanctificativam: & hæc quidem propositio evidens est, quia sanctificatio animæ est sanctificatio passiva vere ac proprie dicta: atque ita prærequisitum & præxigit actionem, cui vere ac proprie conveniat esse sanctificativam. At nulli actioni nisi Divinæ convenit esse vere ac proprie sanctificativam; quia talis actio non potest esse nisi agentis non solum vere ac proprie sancti, sed insuper volentis & valentis communicare sanctitatem suam per impressos supernaturales affectus ad illam spectantes quæ omnia conjunctim, quin etiam divisim, soli Deo propria sunt. Igitur non potest anima sanctificari nisi per actionem aliquam divinam, per quam utique immediatè sanctificabitur: Talis autem actio ex dictis pluries & dicendis est actio illuminativa supernaturalis habitualis, siveque impressiva ejus habitualis supernaturalis affectus ad sancte vivendum, in quo consistit nostra sanctitas.

164. Secunda ratio hæc est. Sanctitas animæ non est affectus ad sancte vivendum qualiscunque materialiter acceptus; sed acceptus formaliter, id est, cognitus & amatus; ubi loquor de sanctitate adultorum, qui si suum illum affectum aut non cognoscerent, aut cognitum non amarent, non essent sancti. At talis af-

cetus secundum quod est cognitus & amatus , non potest communicari nisi per operationem Divinam , quâ videlicet manifestetur animæ quâm bonus , quâm appetendus sit ille affectus , quâm gratus , quâm præstans , quâm assidue exercendus , &c. Quia enim omnis receptio , que fit in anima est receptio intellectua- lis , aut aliter quædam intellectuatio , quatenus quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur ; hinc fit ut recep- tio prædicti affectus virtuosi nihil sit , nisi illuminatio passiva seu recepta , per quam anima inclinatur & novit , & con- sentit se inclinari ad actus tali affectui virtuoso correspondentes. Hæc autem illuminatio passiva fit per activam , quæ in Deo & à Deo est , & sanctificat ani- mam. Præterea ut adhuc melius capias receptionem istius affectus supernaturalis , in quo consistit sanctitas , confer illum cum receptione hujus aut illius affec- tus naturalis , quem Orator oratione sua vehementer ac docta auditori suo com- municat , uti affectum liberalitatis. In quo casu an putas Oratorem produxisse eximiam aliquam entitatem , quæ sit vocanda liberalitas , & eandem veluti im- plantasse in anima sui auditoris ? Et non potius putas Oratorem non communicasse affectum illum liberalitatis , nisi per rationes quas attulit & quas auditor per- pendit , agnoscitque esse invictas ? Hujus- modi ergo rationes oratoriaz fuerunt to-

tidem illuminationes activæ, ad quas totidem passivæ subsecutæ sunt: & istæ futurunt totidem impressiones receptæ, ex quibus una totalis quædam impressio confurrexit, cui competit esse ipsum liberalitatis affectum ab auditore cognitum & amatum. Idem itaque cogita à pari de supernaturali affectu sanctitatis impressio animæ per adhibitam à Deo supernaturalem illuminationem talis affectus, ideoque cogniti & amati impressivam. Et hæc quidem est, ut dixi, sanctitas adulorum de sanctitate sua cogitantium; nam de cætero eadem animæ impressio manere potest sine cognitione & amore in parvulis, imo & in adultis, dum more parvulorum non cogitant de illa, aut per cogitationes alias distrahabuntur. Vide infra n. 176.

165. Tertia ratio hæc est. Nihil quod non sit sanctum, sanctificare potest animam, sicut nihil quod non sit Divinum, deficere illam potest: & hæc est ratio urgentissima quâ D. Basilius demonstrabat adversus Eunomium Divinitatem Spiritus Sancti. Nam quemadmodum, aiebat, quod cremenibus causa est ut cremen, ipsum cremans esse necesse est; & quod sanctis causa est ut Sancti sint, ipsum Sanctum esse: sic & qui Diis causa est ut Dii sint, ipsum Deum esse necesse est, &c. Alludebat ad illud Scripturæ, *Ego dixi, Dii esis, & filii excelsi omnes.* At entitas, quam Adversarii fingunt, à Deo pro anima sanctifica nda productam

ductam, non est sancta, ad eumdem modum, quo non est credens, non est sperans, non est humilis, non est patiens, &c. quia omnis tum cognitionis, tunc amoris expers est, imo incapax. Ergo sanctificare animam non potest, ac multò minus deificare, Ibidem sic etiam argumentatur D. Basilius. *Creatura non sanctificat creaturam, sed ab uno sancto, qui de se dicit, Ego sanctifico me, per ipsum omnia sanctificantur; Spiritus ergo non est creatura, sed sanctitatis Dei character & omnis sanctificationis fons.* At entitas, de qua agitur, nonne est creatura? Ecce & aliud argumentum ejusdem doctissimi Patris. *Omnis creatura sanctificata est: Spiritus verò Sanctus non eorum quae sanctificantur, sed sanctificantum est: non ergo creatura.* At entitas de qua agitur, si quæ est, nonne est sanctificata? Non ergo est sanctificans. Vide & S. Cyrilum Archiep. Alexand. lib. 10. in Joan. c. 3. ubi optime probat non posse animam fieri participem Divinitatis per interventum ac ministerium ullius creaturæ. Atque in hoc consentiunt cæteri omnes sancti Patres, qui scripserunt contra Eunomium, quare vel talia argumenta non satis probant Divinitatem Spiritus Sancti, quod absque nota hereticos Eunomianæ cogitari non potest: vel satis probant justificationem ac deificationem animæ non fieri per entitatem illam creatam, cui vulgo tribui-

tur esse & vocari gratiam habitualem.

166. Quarta denique ratio hæc est. Si anima sanctificatur per entitatem, de qua agitur, ista entitas vel retinet sanctitatem quam confert; vel confert sed non retinet. Atqui neutrum potest admitti. Et primò quidem non retinet sanctitatem quam confert; quia si retineret, non conferret: unde ipsa quidem maneret sancta; sed anima non evaderet sancta propter illam, nisi flagratur animam sufficienter evadere sanctam per conjunctionem cum aliqua re sancta, quod est absurdum: certe enim nihil tam conjunctum cum corpore quam anima, quæ est immortalis; uti nihil tam conjunctum cum anima quam corpus, quod est mortale. Sed non capropter evadit anima mortalis, aut corpus immortale, ut hinc intelligas nihil professe ad sanctitatem animæ conjunctionem cum ipsa quantumcumque intimam rei sanctæ. Secundò si entitas ista conferret sanctitatem, sed non retineret; nunquid hoc ipso quod sanctitatem contulisset, otiose & inutiliter remaneret in anima? Quid ergo evaderet ista entitas postquam per elationem suæ sanctitatis evassisset non sancta? Nisi dixeris entitatem, de qua agitur, non conferre sanctitatem, sed esse sanctitatem ipsam; atque ita nullius esse momenti dilemma, quod ut-

getur de sanctitate retenta vel non reten-
ta. Verum si ita est, sicut entitas
ista nunquam erit entitas animæ, ita nec
unquam erit sanctitas animæ: quia ni-
mirum hæc sanctitas tam erit animæ sem-
per extranea, quām entitas quæ est sanc-
titas: & sic rursus anima non erit sancta,
sed tantum erit conjuncta cum entita-
te, quam vocabis, ut volueris, *sanc-
titatem*.

Uno verbo cogita entitatem, de qua
agitur, quantumcunque immersam, in ^{167.}
ferram, penetratam cum anima: imo isti
entitati tribue proprietates quotquot vo-
lueris; dic eam esse spiritualem, super-
naturalem, sanctam, participativam na-
turæ Divinæ, &c. Quid tum? An prop-
terea evident proprietates istius enti-
tatis communes animæ? non certe magis
quām animæ proprietates in entitatem
istam transferantur: quia scilicet con-
junctio quantumcunque intima, nihil ex
titulo meræ conjunctionis habet, quo
immutet res conjunctas. Quare præter
conjunctionem entitatis prædictæ cum
anima, necesse est ut Adversarii recur-
rant ad actionem quamdam illius, quæ
sit actio sanctificatiæ: & hæc est actio,
cujus contendimus entitatem illam esse
incapacem: quatenus actio sanctificandi
est actio intellectuandi; qualiter autem
intellectuativa erit actio entitatis, quæ
nec est, nec esse potest intellectiva?
Hæ sunt itaque rationes, quæ nisi fal-

lori convincunt sanctificationem animæ non fieri per hujusmodi entitatem seu qualitatem prædicamentalem Aristotelicam, quam vocant gratiam habitualem. Unde hoc tantum superest, ut nunc dilucide exponam modum physicum, quo independenter ab ulla tali entitate contingat animam sanctificari per gratiam veram habitualem, id est, per operationem Divinam illam illuminativam supernaturalem & habitualem, quæ est perfecta ac completa notio gratiæ veræ habituallis à Deo in animam emanantis, ut fatus superque haec tenus probatum fuit.

168. Igitur sicuti Deus per se ipsum intime penetret animam, ita per se ipsum movet illam intellectualiter, quod est illam illuminare, seu inspirare illi & immittere cogitationes. Istæ autem cogitationes, quæ prout immissæ à Deo nunquam non sollicitant animam ad aliquod bonum, vel sollicitant ad bonum ordinis naturalis, & ad illas nunc non attendimus: vel ad bonum ordinis supernaturalis, & ad istas nunc attendimus, ac meritis vocamus gratias actuales, per quas anima ad ea, quæ salviis suæ sunt, vocatur, trahitur, inclinatur, preparatur, juvatur, &c. Deinde quia non potest Deus animam mouere per præimmissiones cogitationum supernaturalium, quin adsint ex parte animæ motiones passivæ, id est, impressiones receptæ præimmissionibus predictis, quæ sunt præmotiones quæ-

dam activæ, correspondentes; habet anima in istis impressionibus supernaturalibus passivis affectiones supernaturales ad ea bona, quæ recogitat. Tum vero quia impressiones prædictæ vel perdurant vel depereunt, prout Deus animam movet frequentius, diurnius, vel certe gravius & intimius aut è contra; hinc oritur discrimen, quod adest inter affectiones supernaturales transitorias, quas voca si volueris *dispositiones*, & alias quæ manent, unde merito vocantur *habitus*. Arque in hunc modum obtinet anima affectiones ordinis supernaturalis habituales causatas per præilluminationes Divinas, quas ad discrimen aliarum, quæ non causant in anima nisi affectiones ejusdem ordinis supernaturalis transitorias, vocamus *habituelles*.

Præterea affectiones istæ habituales receptæ & correspondentes præilluminationibus Divinis illis habitualibus respi- ciunt hoc aut illud bonum, quod est vel fidei, vel spei, vel amoris, vel humilitatis, vel patientiæ, &c. & sic sunt ac denominantur virtutes fidei, spei, amoris, humilitatis, patientiæ, &c. Sed quia sicut omnes scientiæ particulares sub una quadam universali scientia, quæ esset quædam *omniscientia* seu Philosophiæ seu Mathematicæ seu alio quovis vocabulo designabilis, continentur; ita omnes particulares virtutes comprehenduntur sub una quadam universali virtute, quæ

210 *Quæstio II. Art. IV.*

est omnis virtus, nec potest congruentius denominari quam *Sanctitas*, quæ est affectio ad omne bonum. Atque ita si concipiimus illuminationem Divinam, quæ sit impressiva hujus affectionis quæ est ad omne bonum, concipiimus hoc ipso quid rei physicae sit Deum sanctificare animam: quin etiam simul concipiimus modum physicum, quo gratia vera habitualis, quæ in tali illuminatione hinc collatâ hinc receptâ consistit, sanctificat animam. Ubi advertis nullam in toto hoc supernaturalis nostræ sanctificationis negotio occurrere entitatem productam: quatenus nihil occurrit nisi ex parte Dei impressio quedam supernaturalis activa, quæ haud dubie non est entitas producta; & ex parte animæ impressio quedam supernaturalis passiva, quæ similiter non est entitas producta; sed tantummodo novus animæ status supernaturalis, seu planè Divinus.

210. Tandem statui isti animæ in hunc modum sanctificatae convenienter prærogativæ omnes ac dotes, quas Theologi sentiunt infundi, inseri, inhætere animæ per gratiam habitualem. Quia enim Deus non potest aliter, uti neque potest melius, communicare nobis identitatem suæ naturæ, quam per communicationem suorum affectuum; hinc est ut deificemur, quantum possumus deificari, per communicationem nobis impressam affectuum Divinis consimilium,

qui includuntur generatim omnes sub
prædicto affectu sanctitatis. Deificari au-
tem est regenerari, reconciliari Deo, affi-
liari Deo, accipere pignus hæreditatis
Divinæ, evadere templum Dei, &c.
Denique est fieri Deo gratum & ami-
cum tam singulariter, ut non excogita-
bilis sit modus aut felicior aut intimior,
per quem obtinere anima possit Divi-
nam benevolentiam ac complacentiam;
quia non potest reddi, quam in hunc
modum, similius Deo, vel maximè qua-
tenus sic transformatur in lucem, sicuti
Deus lux est, quæ illuminat omnem
mundum. Quâ de re audi S. Clementem
Alexandrinum Pædag. lib. I. *Quod simile
est, est amicum similis; quod sanctum est
autem, amicum est ei, ex quo sanctum est:*
*quod lux propriè appellatum est: eratis
enim aliquando tenebræ, nunc autem lux
in Domino.* Nec jam superest nisi ut si
quid habent Adversarii vel contra hanc
expositionem, vel contra rationes quas
ei præmisi, opponendum, id discutiā, ac
si possum executiam.

Et primâ quidem discutiendum occur-
rit id, quod aiunt posse saltem fieri,
ut Deus sanctificet animam per infu-
sionem & insertionem in ea talis enti-
tatis, quam vocant gratiam habitua-
lem. *Quid enim vērat quin Deus creet
entitatem spiritualem ordinis superna-
turalis, faciatque eam participem suæ
naturæ, ideoque & sanctitatis, quin*

& eandem creet in anima & illi faciat inhærente? In quo casu entitas illa deiformis & sancta nonne deificabit & sanctificabit animam communicando illi seipsum, ac secum ipsâ dotes & prærogativas omnes, quas divinitus obtinuerit? Certe sicut potest corpus in ordine naturali esse animatum per animam, quæ est entitas adventitia; sic etiam poterit anima ipsa in ordine supernaturali animari, id est deificari & sanctificari per entitatem adventitiam, quæ est gratia: unde hæc entitas erit forma animæ, sicut illa est forma corporis, cum hoc tantum discrimine, quod illa est forma substantialis, hæc verò accidentalis, ac de genere qualitatis, ut vulgo creditur. Quare saltem incertum est an non sanctificatio animæ fiat per hujusmodi entitatem; quia quoties potest aliquid uno alteroque modo divinitus fieri, neuter est certus, si non accesserit revelatio. At quæ est, inquiunt, revelatio, quâ convicti simus Deum non adhibere prædicatam entitatem accidentalem pro anima sanctificanda?

172. Respondeo posse pariter Deum per suam aliquam immediatam operationem sanctificare animam independenter ab ulla tali entitate accidentalí producta, quam vocant gratiam habitualem: quis enim id neget; vel maxime quia Deus

immemorata prolsus tali entitate expressissime afferit se ipsum esse , qui fideles suos sanctificat. *Ego Dominus qui sanctifico vos* , ut alia taceam & passim occurrentia sacerdæ scripturæ loca , quæ sacri expositores intelligunt de perfecta ac supernaturali ista sanctificatione , de qua agitur : quæ sic inquam intelligunt ad discrimen aliorum non minus frequentium textuum , quos explicant de sanctificatione legali , aut de quacunque alia minus perfecta. Quapropter ex hoc capite non est cur contra nos potius affirment Adversarii , quâm cur nobiscum negent animam sanctificari per ministerium entitatis productæ : siquidem si uno & altero modo sanctificatio , de qua agitur , potest divinitus fieri , neuter est quem certò sciamus adhiberi , quia nondum accessit revelatio alterutrius , quem adhibere Deus voluerit , sicut ipsi discurrent .¹⁷

Sed quid ? Si aliter ac efficacius respondeo sanctificationem illam , quam putant fieri per interventum entitatis productæ , esse divinitus impossibilem , non solum quia impossibile est entitatem illam esse sanctam ; sed etiam quia licet esset sancta , non tamen sanctitas illius evaderet sanctitas animæ , ut probatum est supra n. 167. Neque è re erit si præterea subnotem tolerabile non esse quod sentiunt animam fieri participem naturæ Divinæ per entitatem

illam ; ad hoc enim necesse foret entitatem illam esse magis participem naturæ Divinæ , quām animam , ac multo perfectius creatam ad imaginem & similitudinem Dei : quæ omnia aperi-
tissime falsa sunt. Nam omnes sancti Patres ac sacri interpretes perfectionem illam , quā sumus ad imaginem & similitudinem Dei , tribuunt intellectua-
litati nostræ , quatenus est expressio intellectualitatis Divinæ . At entitas , de qua agitur , caret omni intellectua-
litate. Ergo non solum non est , sed neque esse potest ad imaginem & similitudinem Dei : quantum itaque abest ut sit similior Deo , ac consor-
tior naturæ divinæ quām anima ? Igitur supernaturales illi gratiæ divinæ habitua-
lis effectus , secundum quos anima re-
generatur , renovatur ad imaginem Dei , assimilatur , affiliatur Deo , &c. nullaten-
nus pendere possunt ab entitate prædi-
cta. Præterquamquod licet entitas illa
esset perfectioris similitudinis ad Deum ,
quām anima ; non tamen capropter assi-
milaret animam Deo , quia nec illam
sibi assimilaret , sicut anima non assimi-
lat sibi corpus , quamvis strictissime
conjungatur cum illo. Unde etiam da-
to quod entitas illa esset forma animæ
ad modum quo anima est forma corporis ,
non tamen ex ista informatione conse-
queretur vel minima pars effectuum , quos
vera gratia habitualis causat in anima .

Discutiendum secundò est id , quod adjiciunt sanctificationem nostram multò minùs posse fieri per operationem ullam divinam illuminativam , qualem exposuimus. Nam quid operabitur , inquiunt, in anima illuminatio ista , nisi cogitationes , quas Deus per illam præimmit? Atque ita efficiet quidem ut cogitemus quæcumque sancta voluerit Deus ut cogitemus , sed omnino aliud est nos cogitare de rebus sanctis , & aliud nos esse sanctos : quid enim ventat impios cogitare de illis ? Ergo per solam istam illuminationem non fit nostra sanctificatio. Tum verò quia non fit aliter sanctificatio adulti conversi , & aliter sanctificatio parvuli baptizati , hinc certe evidens est sanctificationem illius non fieri per solam prædictam illuminationem Divinam , quia sanctificatio istius certissimè non fit in hunc modum : quatenus anima parvuli baptizati incapax est recipiendi illuminationem illam Divinam perinde ac cogitandi ea , quæ per illam cogitanda suggererentur. At è contra omnino capax est admittendi entitatem illam , de qua agitur. Ergo vel compellemur ad annuendum adultos aliter , & aliter parvulos sanctificari ; quod inauditum est : vel pro utrisque uno codemque modo sanctificandis opus erit , ut recurramus ad entitatem illam sanctificativam .

quam omnes scholæ recipiunt & vocant
gratiam habitualem.

175. Respondeo illuminationem Divinam, cui soli vim sanctificativam tribuimus, non operari in anima cogitationem simpliciter, sed cogitationem virtuosam; id est cogitationem cum amore conjunctam, imo conjunctam cum affectu cogitandi & amandi bona, quæ cogitantur: in quo affectu consistit virtus. Sic esse humilem est cogitare cum affectu & amare humilitatem, seu amare humilitatem cum affectu speculatorio & practico: atque ita de ceteris virtutibus particularibus, quas generatim sub se omnes comprehendit universalis illa virtus, quam vocavimus sanctitatem, & diximus consistere in affectu supernaturali habituali ad omne bonum & cogitandum & faciendum. Quare impressio hujusce affectus est vera sanctificatio, de qua agitur.

Quod verò spectat ad parvulos baptizatos absit ut dicamus eos aliter quam adultos sanctificari; quandoquidem proutrisque consistit sanctificatio in consimili Divina impressione ejusdem supernaturalis sanctitatis. Neque isti consimilitudini ulla tenet obstat, quod hæc Divina impressio affectuatur in adultis cognitionem, quam in parvulis non affectuatur: non inquam obstat, quia per accidens est quod aliquis affectus impressus, sit cognitus aut non cogni-

tus , cogitatus aut non cogitatus , amatus aut non amatus : siquidem & in adultis non continuò cogitatur aut amatatur illa Divina impressio , ut accidit vigente somno vel exercitio aliarum cogitationum. Quod ut facilè intelligas cogita animam parvuli perinde ac adulti esse susceptivam Divinæ cujusvis motionis , atque ita receptivam impressionis ejusdem , & eodem modo perseverantis : quare si Deus moveret habitualiter animam parvuli sicut animam adulti sanctificati , aderit in utroque impressus affectus idem sanctitatis ; et si in illo maneat sopus usque ad usum rationis , sicut & in isto maneret sopus non obstante usu rationis , nisi Deus deinceps per gratiam actualem actualis illuminationis illum excitaret. Tandem ut hac in re nulla tibi maneat difficultas , cogita rursùs inclinationes varias naturales , quas Deus unicuique animæ concreat , non esse nisi quidam impressiones habituales in ipsa receptas & pendentes ex motione aliqua Divina habituali ordinis naturalis : istæ autem impressiones nonne in ipsa manent incognitæ & otiosæ , donec deinceps ex habitu proferantur in actum per impressiones alias actuales objectorum convenientium ? Atqui res similiter se habet circa impressiones supernaturales habituales ; & sic vides animam parvuli baptizati non esse incapacem ejus

impressionis supernaturalis habitualis , quæ est sanctitas , seu sanctus affectus ad ea credenda quæ sunt fidei , ad ea speranda quæ sunt spei , ad ea diligenda quæ sunt charitatis , &c.

177. Discutiendum est tertio . quod clamat sanctificationem , de qua agitur , esse permanentem ; atque ita id per quod causatur , esse necessariò aliquid permanens. Unde sequitur tum non posse illam causari per operationem ullam Divinam , quia quæcumque illa est , se habet per modum actus : tum proinde recurrentum esse ad entitatem sanctificativam , qualem Theologi admittunt à Deo productam & in anima receptam : sic enim entitas ista quādiu in anima permanebit , tādiu causabit sanctitatem , de qua agitur. Præterquam quod quidquid adversus entitatem istam congettūmus , tantummodo oppugnat & excludit ab ea dignitatem causæ efficientis sanctificativæ , sed non causæ formalis sanctificativæ , quod erat probandum. Quia Theologi agnoscunt equidem Deum pro sola causa efficiente sanctificativa animæ ; sed negant Deum , sive esse , sive posse esse causam formalem sanctificativam illius , propter imperfectionem , quæ est in hoc genere causandi , quod est genus causandi partialiter & incomplete. Unde necesse est ut Deus creet infundatque animæ entitatem , cui committat hoc

munus sanctificandi formaliter animam, sicut animæ committit munus animandi formaliter corpus, cæterisque omnibus formis distribuit ministerium actuandi formaliter sua respective subjecta. Igitur manet inexpugnata entitas, quam Theologi vocant gratiam habitualem & ceasent à Deo creari in anima pro eadem formaliter sanctificanda.

Respondeo posse contingere, imo 178. saepius contingere, ut per unicam impressionem actualem transitoriam causetur impressio quædam passiva constans & permanens: & id quidem contingit quandoque tum in rebus corporalibus, tum in spiritualibus. Sic unica actio sigillandi ceram relinquit in cera permanentem sigillationem, & unica actio notificandi aliquam veritatem relinquit in anima notitiam permanentem. Ut autem id contingit quandoque in ordine naturali, nec in supernaturali repugnat: ita quod Deus poterit impressionem supernaturalem habitualem causare in anima per unicam impressionem actualem supernaturalem; vel maxime quia penes ipsum est efficere per unicam vividiorem, id quod efficeret per plures minus vividas. Itaque poterit per unicam actionem specialis ejusdem supernaturalis illuminationis effici in anima impressio, sive affectio permanens sanctitatis. Ad quid ergo necesse est admitti causem permanentem

210 *Quæstro II. Art. IV.*

sancitatis permanentis ? vel maxime quia plerique effectus permanent non permanentibus causis ipsorum effectricibus, salvâ tantum necessitate Divini concursus rerum omnium ac singularum conservativi. Igitur licet operatio Divina , cui tribuimus omnem effectum nostræ sanctitatis , se habeat per modum actus , iste tamen actus adeò perfectus ac potens est , ut causare habitum possit , id est habitualem effectum eujuslibet virtutis , ino sanctitatis , quæ est origo ac culmen virtutum omnium.

179. De cætero satis est si Adversarii bona fide agnoscant entitatem illam , pro quâ militant , nullius esse efficientiæ pro anima sanctificanda : atque ita omnem hujus sanctificationis efficientiam referendam esse ad Deum , id est ad aliquam operationem Divinam. Id , inquam , satis est , quia aliunde novimus causas formales , quas pro informandis quibuslibet subjectis admittunt , non esse nisi causas metaphysicas seu abstractas , nec capitulo nisi in sensu metaphysico seu abstracto recipiendas : in quo utique sensu admittimus animam gratificari per gratiam , & sanctificari per sanctitatem , & humilem fieri per humilitatem , &c. ad eundem modum quo homo fit formaliter homo per humanitatem , & Angelus per angelicatem , q uin & Deus per Divinitatem. At quia nec Divinitas est

entitas physica superaddita Deo , nec angelicitis Angelo , nec humanitas homini : ita nec gratia est entitas ulla physica superaddita animæ gratificatæ , & sic de sanctitate relata ad animam sanctificatam , & de humilitate relata ad animam humilem , &c. Unde superest constitutivum physicum animæ sanctificatæ non esse formam ullam abstractam sanctitatis , sed esse id physicum , cui tribuitur denominatio talis formæ : quo pacto sanctitas physica animæ est physica illa impressio , per quam anima physice afficitur ad omne bonum : & hæc physica impressio passiva causatur per physicam impressionem activam , quæ in Deo , & à Deo est. Hinc patet qualiter cum Adversariis convenimus circa conceptum metaphysicum sanctitatis , de qua agitur ; sed disconvenimus circa physicum ; quia revera falsum est dari ulla physicam entitatem productam , quæ sit sanctitas , perinde ac falsum est dari ullam physicam entitatem productam , quæ seorsim ab homine sit humanitas ; & sic de aliis. Tandem paritas ad quam recurunt animæ informantis corpus non eos juvat , quia anima sic est spiritualis ut sit spiritus intelligens & volens ; alias non posset corpus regere pro arbitrio : quare etiam gratia nisi pariter esset intelligens & volens , non posset animam dirigere , monere , hortari , &c. ac multò minus sanctifica-

re. At nunquid omnem prorsus notitiam admunt gratiæ? Igitur non eos juvat paritas, quâ volunt gratiam esse formam animæ, ut anima est forma corporis. Vide supra n. 173. Præterquamquod et si gratia esset intelligens, volens, sapiens, humilis, sancta, &c. nihilominus ex ipsis prærogativis nulla in animam redundaret, sicut nec ulla prærogativa intellectualis redundat ex anima in corpus, ut certum est.

180. Discutiendum tandem quartò occurrit sine alicujus verisimilitudinis quod putant nullam esse repugnantiam in hoc quod entitas, quam vocant gratiam habitualē, sanctificet animam, licet ipsa sit expers omnis sanctitatis, sicut est expers omnis notitiæ. Nam si in hoc nulla est repugnantia, ruit, inquiunt, potissimum argumentum, quod supra adduximus n. 165. Videtur autem nullam esse, quia generatim omnia tum media, tum instrumenta concurrentia ad perficiendum aliquod subjectum non habent perfectionem quam causant in illo; ut verificari potest exemplo luminis, quod nihil habet perfectionis visivæ: atque ita de sono, de odore & sapore, in quibus nihil est ejus sensationis, quam causant. Cogita insuper Oratorem qui ad suadendam sanctitatem non utitur nisi vocibus; & nihilominus in ipsis vocibus nihil est sanctitatis: quare igitur non poterit Deus pro anima sanctificanda uti entitate, quæ

nihil habeat sanctitatis? At si potest,
quæ est ratio quæ coinvincat Deum eā
non uti?

Respondeo. sensationes corporeas,^{181.}
secundūm quod causantur ab objectis
sensibilibus corporeis, non consistere nisi
in motionibus passīvis corporeis, quas
haud dubiè causare possunt motiones
activæ pariter corporeæ, quales sunt
actiones luminis, soni, odoris, &c. At
que ita lumen, sonus, odor, &c. conti-
nent activè perfectionem passivam, quam
causant in suis respectivè subjectis, qui-
bus utique non competit quicquam nisi
corporaliter pati. At anima est sub-
jectum intellectuale, cuius omnis pas-
sio est intellectualis: passio autem in-
tellectualis quid est, nisi passiva quædam
intellectuatio sive illuminatio, per quam
videlicet anima inspiratur, monetur,
arguitur, suadetur, &c. Quæ omnia
evidenter desiderant aliquam notitiam
ex parte inspirantis, monentis, arguen-
tis, suadentis, &c. Igitur ineptissima est
ad animam intellectualiter afficiendam,
ideoque pariter ad hancdem sanctifican-
dam entitas, de qua agitur, propter
privationem, imo negationem quæ in
ipsa est, omnis notitiæ.

Tandem circa voces, quas orator utiliter^{182.}
adhibet ad suadendam sanctitatem, licet
nihil habeant sanctitatis, dico voces illas
nihil aliud physice loquendo præstare,
quam pulsationem organi auditorii,

quemadmodum & hæc pulsatio recepta, non est nisi corporalis quædam motio passiva , cuius utique perfectio continetur in motione eâ activâ sonorâ , per quam causatur. Quod autem deinceps hæc motio corporalis à sensu externo ad internum transmissa , ibi percipiatur ab anima advertente per ipsam quid orator suadeat , id non pendet præcisè ex vocibus nisi occasionaliter. Quapropter hinc tantum A dversarii probarent entitatem quam propugnant , fore patiter metam occasionem sanctitatis. In quo casu entitas illa non sanctificaret per se animam, sicuti voces prædictæ non suadent per se sanctitatem ; sed sanctitatem suadent rationes , quæ per sensationes organicas advertuntur, id est actiones monendi, atguendi consulendi, &c. quæ actiones omnes sunt totidem illuminations actuales. Igitur si valet paritas adducta , quid utique probat nisi veritatem doctrinæ, quam hucusque exposuimus de sanctitate supernaturali non per entitatem ullam productam causata , sed per solam operationem aliquam divinam supernaturalem illuminativam , siveque impressivam affectus sancti ad omne bonum. Præterea vero orator ideo adhibet voces externas pro suadenda sanctitate , quia non potest aliter communicare actiones sui ratiocinii illuminativi ; At Deus intime penetrat animam , & sic non eget entitate ulla quacunque externa ad animam

ut ut voluerit illuminandam & exinde
sanctificandam. Igitur nulla est hujus-
modi entitas, cui tribui debeat aut etiam
possit sanctitas nostra, ut jam satis super-
que probatum est. Nihilominus ad com-
pletissimam totius istius controversie
notitiam, sicut sub finem præcedentis
quæstionis collegi uno alteroque arti-
culo potiora argumenta, quæ probant
aut improbant gratiam actualem esse ac-
cidens productum, ita id ipsum circa
gratiam habitualem prestabo deinceps
et que studiosè, & ut spero et què feliciter.





ARTICULUS V.

AN VERIUS EXPLICETUR
quidquid spectat ad gratiam habi-
tualem ponendo quod sit accidens,
videlicet productum, & in sensu
Theologico Aristotelico accep-
tum?

183. **A**DVERTO plurima esse, quæ occurunt spectanda in sanctifi-
catione passiva animæ ac præser-
tim hæc duo, ex quibus cætera omnia con-
sequuntur, videlicet destructionem mor-
tis peccati, id est peccati remissionem,
quæ est exvitio veteris hominis, & ac-
quisitionem novæ vitæ in Christo, quæ
aliter vocatur regeneratio & induitio no-
vi hominis. Tum vero quod attinet ad
remissionem peccati certum est duo esse
mala, quæ causantur in anima per pec-
catum; unum est malum culpæ, alterum
est malum maculæ; illud morale est, &
curatur per solam misericordis Dei con-
donationem; istud physicum est & consis-
tit in prava ad peccatum iterandum af-
fectione, quæ est animæ sordes, quâ
nulla fœdior: curatur autem per affec-

tionem contrariam ad bonum , & hanc gratia sanctificativa animæ confert. Deinde quod spectat ad acquisitionem novæ vitæ in Christo, æquè certum est eam consistere in possessione affectuum supernaturalium, quibus convenit dignitas principii proximi operativi supernaturalis, sive vitalis in ordine supernaturali : unumquodque enim agens operatur secundùm affectus suæ naturæ : atque ita isti affectus sunt in eo principium proximum operandi: & sic clarè intelligimus animam affectam ad operandum supernaturaliter vivere vita supernaturali. Atquæ hæc est vita quæ secum affert cætera omnia sanctificationis supernaturalis privilegia , ac pretiosissima dona.

Adverte rursus omnino distinguendum 184
esse inter actus supernaturales , & affectus sive habitus talium actuum : tum quia tales actus sunt transitorii , affectus autem sunt permanentes : tum quia illi non exercentur absque gratiis actualibus divinis , id est divinis actualibus illuminationibus ; isti autem absque talibus gratiis subsistunt , postquam semel impressi sunt per gratiam divinam habituali , quæ est divina habitualis illuminationis prædictorum affectum impressiva. Sed neque minus distinguendum est inter istos tam actus quam affectus secundùm quod à Deo sunt , & secundùm quod nostri sunt : quia revera nostri sunt , licet à Deo sint ; nam quis ne-

get nostrum esse quidquid nobis defuper concessum indultumque est? Hinc nunquam assecutus sum rationem idoneam, quæ inclinare potuerit Magistrum sententiarum, vitum alias in rebus Theologicis celeberrimum, ut asserteret charitatem: quæ est præcellens sive actus, sive affectus nostræ sanctitatis, esse Spiritum Sanctum; nisi id intellexerit in sensu quodam causali & objectivo aut finali, in quo pariter verificatur Deum esse fidem nostram, spem nostram, fortitudinem nostram; patientiam nostram, &c. sed non loquebatur Magister sententiarum de charitate in isto sensu accepta, quia aliter sentiebat de Fide, Spe, Fortitudine, Patientia, &c. & aliter de Charitate, ut apud ipsum videre est in distinct. 17. libri primi.

185. Adverto denique neminem posse esse fidelem per fidem alterius, aut spera tem per spem alterius, aut diligentem per dilectionem alterius, aut uno verbo sanctum per sanctitatem alterius, sicuti nec potest vivere quis per vitam alterius: unde nihil, non dico à sacra Theologia; sed etiam à sana mente tam alienum est, quam quod hæreticis multis placuit & adhuc placet sanctitatem nostram esse tantummodo sanctitatem Christi, nobis videlicet imputatam à Deo: nam quo cumque modo accipiatur hæc imputatio, non minus repugnat unum è nobis esse sanctum per sanctitatem Christi,

Christi, quām esse animatum per animam Christi: quia ad hoc ut quis sit verē sanctus tam necesse est ut ipsius sit sanctitas sua, quām necesse ei sit ad esse verē animatum, ut ipsius sit anima sua. Itaque sanctitas per gratiam habitualem obtentaverē in nobis ac verē nostra est, quamvis à Deo indulta propter merita Christi, sicut legitur ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu.* Et hēc est sanctitas, per quam sic verē justificamur, ut verē efficiamur pii ex impiis, quod apud D. Aug. passim legitur ac speciatim tract. 71. in Joan. Qui justificat impium? ex impiō facit pium. Unde planum est sanctitatem nostram non esse utcunque externam aut imputatam, sed verē internam ac inhārentem. Extat hac de re celebris decisio Tridentina expressa his verbis: *Justificatio non est sola peccatorum remissio: sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae & donorum.* Ac deinde. Si quis dixerit homines justificari vel solā imputatione justitiae Christi, vel solā peccatorum remissione exclusā gratiā & charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhāreat: aut etiam gratiam quā justificantur, esse tantum favorem Dei, anathema sit. Quæ omnia advertere debui, quia proderunt solutioni argumentorum sex consequentiū, in quibus elucebit quidquid solit.

di aut verisimilis afferri potest in subdi-
dium ac præsidium entitatis illius acci-
dentalis productæ , cui vulgo tribuitur
esse , & vocari gratiam habitualem sanc-
tificativam.

Argumentum primum.

186 **A**rgumentantur primò , & opponunt plurima illa sacrae Scripturæ loca , in quibus justificatio nostra celebratur veluti quædam regeneratio , renovatio ,
 1. affiliatio divina , quin & Deificatio : le-
 Pet. gitur enim sic . Regeneravit nos in spem
 1. vivam , & ad Ephes. 4. Renovamini au-
 1. tem spiritu mentis vestræ Et iterum . Vi-
 1. Joz. dñe qualem charitatem dedit nobis Pater ,
 3. ut filii Dei nominemur & simus. Ac cursus
 2. Pett. Magna & pretiosa nobis promissa
 donavit : ut per hæc efficiamini Divinae
 confortes naturæ Opponunt simul loca
 alia , ex quibus datur intelligi qualiter
 hæc eadem nostra justificatio sit insti-
 tutio quædam divinæ hæreditatis , ac
 divina quædam unctio , & consignatio ,
 2d & concratio divini cuiusdam seminis ,
 Tit. & divini cuiusdam templi constructio ,
 3. &c. Salvos nos fecit per lavacrum regenera-
 2. ad tionis , quam effudit in nos abunde per Je-
 Cor. sum Christum Salvatorem nostrum , ut justi-
 1. ficati gratiâ ipsius bæredes simus , &c. & ali-
 ad bi. Qui unxit nos Deus , qui & signavit nos
 Eph & dedit pignus in cordibus nostris. Et cursus
 1. in quo & credentes signati estis spiritu pro-

missionis sancto, qui est pignus hæreditatis 1.
nostræ. Tum apud Joannem *Omnis qui na-* Joa-
tus est ex Deo peccatum non facit, quoniam 3.
semen ipsius in eo manet. & apud D. Pau- 1. od
lum. *Nescitis quia templum Dei estis,* & Cor.
Spiritus Dei habitat in vobis? &c. Unde 3.
sic concludunt. Ergo quia prædicti effec-
tus nostræ justificationis sunt valde per-
manentes, intimi ac penetrativi totius
animæ; consequens est eos pendere ex
causa, quæ permaneat & intimè pervadat
totam animam. Hæc autem causa est haud
dubie gratia habitualis; quare nec du-
bium erit quin gratia habitualis sit en-
titas à Deo producta, & ab eodem Deo
insita animæ, ad eam videlicet regene-
randam, renovandam, affiliandam, dei-
ficandam, instituendam hæredem; un-
gendum, consignandum. &c.

Respondeo & admitto præenumeratos 187.
effectus nostræ justificationis esse perma-
nentes & intimos, quos præterea fateor
pendere ex causa permanente & intima;
sed nego hujusmodi causam esse entita-
tem, de qua agitur. Ratio negandi est;
tū quia talis entitas nec ad affectiones, nec
ad operationes animæ pertinet: atque
ita ex hoc capite non esset illi intima; tum
quia licet ex hoc aut ex quocumque alio
capite esset illi intima, multùm intimior
est illi causa alia, quam assignamus, præ-
enumeratorum omnium effectuum produ-
ctriceam, videlicet illuminatio divina, ad
quam spectat esse impressivam ejus super-

naturalis ad omne supernaturale bonum affectus, in quo consistit justitia nostra, sive sanctitas; ut toties dictum est. Quare loca sacræ Scripturæ præcitata, tantum abest ut improbent, apertissime probant, si rectè attenduntur, doctrinam à nobis hactenus stabilitam.

188. Respondeo rursus effectus præenumeratos animæ per justificationem suam adoptatæ, deificatæ, assecutæ pignus hæreditatis cælestis, unde, consignatæ, &c. casu quo provenirent illi ab entitate, de qua agitur, vel illi proventuros ex conjunctione talis entitatis cum ipsa, vel ex operatione aliqua ejusdem entitatis ad prædictam conjunctionem subsecuta. At neutrum è duobus verificatur. Non primum, quia per meram conjunctionem nulla fit immutatio, præsertim intrinseca in rebus conjunctis. Nec secundum: quia non valet ad effectus intellectuales, quales sunt præenumerati, nisi operatio intellectualis, cuius est incapax entitas illa, quæ supponeretur animæ conjuncta. Præterquamquod effectus præenumerati sunt etiam supernaturales; quoties autem de effectu aliquo supernaturali agitur, Deus prior est, qui operatur illum, nec potest causa secunda nisi cooperari: sic que entitas illa tantum cooperaretur. Sed neque cooperaretur, quia operatio divina justificativa animæ est illuminativa illius: unde sequitur entitatem, quæ non potest concurrere ad animam illum.

nandam, non posse quicquam cooperari ad illam justificandam. Hujusmodi autem est entitas, pro qua Adversarii militant; De cætero si præallata sacræ Scripturæ testimonia ad hoc tantum afferuntur ut probent gratiam habitualē esse intimam & inhærentem animæ justificatæ, judiceret lector utrum è ducbus sit intimus & inhærentius eidem animæ, vel entitas ab Adversariis propugnata, quæ ad summum intra animam esset otiosa, vel operatio divina, quæ animam actuaret seu illuminaret, atque ita sanctificaret efficiendo in ea per se ipsam, quidquid gratiæ habituali efficiendum & effectum tribuitur; & sic authoritates adductæ multò magis favent opinioni nostræ, quam oppositæ.

Argumentum secundum.

Argumentantur secundò & obji-189.
ciunt quasdam alias sacræ scrip-
turæ authoritates, ex quibus clare
subinfertur gratiam habitualē esse do-
num supernaturale, & illud quidem
intra animam diffusum à Spiritu Sanc-
to ad eam de novo ac supernaturaliter
regenerandam, in qua nova ac super-
naturali regeneratione consistit ejusdem
animæ sanctificatio. Itaque, ut ait D.
Jacobus in Epist. Cath. c. 1. *Omne da-
tum optimum & omne donum perfectum*

234 *Quæstio II. Art. V.*

desursum est descendens à Patre lumen, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: voluntarie enim genuit nos verbo veritatis ut simus initium aliquid creaturæ ejus. Ecce in his præsertim posterioribus verbis gratiam habitualem, quæ regenerat animam, & eandem transfert in statum supernaturalis cuiusdam novæ creaturæ. Ac tum quod hæc gratia diffundatur intra animam, id testatur D. Paulus ad Rom. 5. his verbis, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ubi præterea gratiam sic diffusam vocat expresse *donum*, videlicet Divinum ac supernaturale, *Sed non sicut delictum, inquit, ita & donum.* Si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum, in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Unde sic concludunt. Ergo gratia habitualis ex hoc quod est donum, est entitas quædam à Deo producta, & ab eodem Deo donata animæ: nam quid ei donat Deus, si nihil in ei producit? sicuti ex hoc quod est donum diffusum, est qualitas quædam; quia qualitatis proprium est diffundi & esse penetrativam sui subjecti. Atque ita, inquiunt, gratia habitualis est entitas quædam qualitativa, ordinis videlicet supernaturalis, producta à Deo intra animam, & eidem inhærens, & inhærendo sanctifi-

cans , ut communiter omnes sentiunt.

Respondeo affectus naturales unicuique agenti à Deo simul cum ipsius natura communicatos esse haud dubiè dona Dei ; quis enim neget affectum , quo v. g. anima naturaliter fertur ad hanc vel illam scientiam acquirendam , ad hanc vel illam virtutem sectandam , esse donum Dei ? quis neget donum Dei esse bonam indolem , & perspicaciam intelligentiæ , &c. ? Et hæc dona quis rursus neget esse intima , inhæfiva & penetrativa totius animæ , aut nihilominus contendat ea consistere in entitatibus seorsim productis & animæ superadditis ? Hinc si ab idea affectuum hujuscemodi naturalium assurgimus ad ideam supernaturalium , in quorum participatione divinitus possessâ consistit nostra sanctitas , illicò apparebit nullatenus necesse esse eos accipi pro entitatibus seorsim productis & animæ superadditis ad hoc ut sint vera & realia dona , eaque intima , & inhærentia ac totius animæ penetrativa , sive intra ipsam diffusa à Spiritu Sancto . Quod utique manifestum est , quia non est potior ratio cur pro hisce entitatibus habendi sint affectus supernaturales per operationem Divinam ordinis supernaturalis impressi animæ , quam affectus naturales eidem impressi per operationem Divinam ordinis naturalis . Hinc utrique pariter nullam

important mutationem entitativam ,
aliàs anima prout varie ac varie affi-
ceretur , entitatem haberet nunc majo-
rem nunc minorem , nunc hanc nunc
illam , quod omnino pugnat cum spi-
ritualitate ac simplicitate reali entitati-
va ejusdem animæ .

¶ 91. Respondeo præterea entitatem illam ,
cui ab Adversariis tribuitur esse & vo-
cari gratiam habitualem , multò minus
habere rationem doni , aut certè ra-
tionem doni minus intimi , quām
quemcunque affectum sanctificativum
animæ impressum . Et primò quidem
multò minus habet rationem doni ;
quia donum non tam consistit in re
donata , quām in jure ad usum illius;
at quis non videt majus esse jus ani-
mæ ad usum cuiusvis sui affectus , quām
ad usum supradictæ entitatis . Secundò
hæc eadem entitas supradicta rationem
haberet doni minus intimi , ut proba-
tur à pari : quia licet anima sit valde
intima corpori , adhuc tamen intimio-
res sunt eidem corpori suæ ipsius affec-
tiones : atque ita intimior est animæ
supradictus supernaturalis affectus , quām
entitas , quæ illam quoçunque pen-
etrativo modo afficeret . Imo contendō
talem entitatem non posse esse ullaten-
nus donum animæ ; quia anima intel-
lectualis tota cum sit , non est recepti-
va nisi donorum merè intellectualium ;
hujusmodi autem dona consistunt omnia

in impressionibus intellectualibus , ad
quarum nullas revocari potest talis en-
titas , quæ nihil habet sive passivæ ,
sive activæ intellectualitatis : quin etiam
quamvis haberet aliquid sive hujus sive
alterius , hæc intellectualitas non esset
intellectualitas animæ , & sic non per-
tineret in ratione doni ad animam. Cer-
tè aliàs puto entitatem , de qua agitur,
non esse donum convenientius animæ ,
quàm dublionem aureum , quem Deus
intra ipsam crearet , aut quid simile :
quia videlicet non alia sunt dona con-
venientia animæ , quàm cognitiones &
affectiones tum naturales , tum super-
naturales , seu quod idem est affectio-
nes cognitæ , volitæ & exercitæ , quæ
sunt illuminationes passivæ pendentes
ab activis , per quas Deus animam af-
ficit & inhabitat. Quare ex hoc utro-
que capite tam doni , quàm doni in-
time diffusi , potius probatur ex præ-
citatibus sacræ Scripturæ locis atque con-
vincitur receptionem gratiæ habitualis ,
sive sanctificationem nostram , in af-
fectu supernaturali quem propugnamus ,
quàm in entitate ab Adversariis pro-
pugnata , consistere.

Argumentum tertium.

Argumentatur tertio , & oppo- 192.
nunt authoritatem sacri Concilii
Tridentini , à quo definitum fuit ho-

minem justificari per gratiam acceptam,
& posse per observationem mandatorum
crescere in ipsa justitia per Christi gra-
tiam accepta , & hanc gratiam accep-
tam amitti per peccatum : quid autem
est aut esse potest gratia hæc accepta
& amissa , nisi entitas quædam super-
naturalis videlicet & habitualis , cui
competit & accipi , & amitti ? Præte-
rea nonne idem sacrum Concilium mul-
tiplici anathemate fériit permultos hæ-
reticos , qui exponebant justifica-
tionem , de qua agitur , vel per solos ac-
tus fidei , aut spei , aut charitatis , &c.
vel per solum quemdam externum fa-
vorem imputationis justitiae Christi ;
vel per solam peccatorum remissionem ,
vel utcunque aliter absque recursu ad
entitatem illam supernaturalem habitua-
lem , quam esse sanctificativam animæ
& eidem inhæxivam ibidem definitur ?
Verba hæc sunt. *Si quis dixerit homines
justificari vel solâ imputatione justitiae
Christi , vel solâ peccatorum remissione ,
exclusâ gratiâ & charitate , quæ in cor-
dibus eorum per spiritum sanctum diffun-
datur atque illis inhæreat anathema
sit.* Excludebant itaque hæretici , quos
Concilium damnat , gratiam & chari-
tatem ; & utramque negabant tum dif-
fundî , tum inhærere nostris cordibus.
Ergo si damnata fuit talis exclusio tan-
quam hæretica , necesse est ut definita
fuerit tanquam de fide inclusio tali ex-

clusioni opposita : ac propterea tanquam de fide definitum fuit justificatiōnem nostram fieri per diffusionem & inhārentiam gratiæ & charitatis , id est entitatis alicujus supernaturalis habitualis sive unius , sive duplicitis , quæ sit gratia & charitas. Hinc Theologi Catholici , sicut infra referetur , non disputant an sit de fide post Concilium Tridentinum dari talem entitatem habitualē , convenientiū enim fere omnes & affirmant id esse de fide ; sed tantummodo an id fuerit de fide ante tempora hujus Concilii.

Respondeo adductam sacri Concilii 193. Tridentini autoritatem nullatenus præjudicare , imò plurimūm favere opinioni nostræ , quæ & omnino refutat ab ea justificatione externa , quam inducere voluerunt hæretici , & planè admittit justificationem internam , quæ est vera & realis animæ regeneratio ac renovatio consistens in receptione affectus supernaturalis habitualis ad omne bonum , affectus videlicet intimi , & intime inhaesivi , qui utique communicatur per supernaturalem divinam illuminationem habitualē intime & inhārenter illapsam animæ. Hinc quidquid in sacro Conilio definitur circa diffusionem & inhārentiam gratiæ & charitatis ; aut circa utriusque receptionem , amissionem , augmentum , eidem opinioni nostræ nullatenus contradicit : & certe absit ut

vel uno quidem verbulo discedat à locutionibus Tridentinis. Verum locutiones istas, ubi exponendæ sunt exponimus aliter quam Aristotelici Theologi soleant: quare hoc revera unū est quod jam superest sciendum, an Philosophicæ nostræ expositiones istarum locutionum, seu retum istis locutionibus substratarum, sint convenientiores necne, quam quæ ex *Philosophia Aristotelica* eruuntur.

Respondeo rursus justificationem merè 194. externam & tantummodo imputatam, aut transitoriam & virtutibus ac donis spoliatam, qualēm hæretici admittebant, eam esse, quam sacrum Concilium repudiat & damnavit definiens justificationem, quā justificamur, esse revera internam & habitualem, & inhærentem, & permanentem; quia secum importat animæ nostræ regenerationem supernaturalem; quā nihil inhærentius ac permanentius. Sed quid rei physicæ sit hæc regeneratio, & qualiter physicè fiat; hoc est quod non definit Concilium; quia definire res fidei, id spectat ad Concilia; at definite præterea modos, physicos rerum fidei, id relinquunt doctoribus disputandum. Hinc Theologia Scholastica facta est innumeris controversiis circa modos physicos explicandi res fidei ferè singulas; quod apertissimè convincit res quidem fidei fuisse definitas; quare & de illis convenitur; sed

sed non fuisse pariter definitos modos, quibus explicari illæ possint aut debeat: quare circa istos modos non convenitur, sed aliter aliterque discurritur, prout quisque assuevit philosophari. Tum vero prædicta regeneratio per justificationem, de qua agitur, importata non modo est interna, inhærens, permanens, prout à nobis exponitur; sed est multò interior, inhærentior ac permanentior, quam prout exponitur ab Adversariis: quia nos illam exponimus per novam accessionem affectuum supernaturalium, qui revera sunt affectus animæ, & eidem revera inexistent, inhærent, permanent: at è contra illam non expoununt Adversarii nisi per novam accessionem entitatis productæ, quæ non evadit entitas animæ, nec ad eam quocunque modo verè interno pertinet. Hinc licet supposueris entitatem istam in hunc animæ, ex hoc tamen non sequitur animam esse sanctam: quia sanctitas animæ est aliquid animæ; ista vero entitas nihil est animæ. At è contra suppose in anima affectus supernaturales prædictos, qui sunt utique affectus vitæ sanctæ; & advertes qualiter ex hoc uno recte consequatur animam esse sanctam: quia videlicet prædicti affectus sunt revera affectus animæ; ac proinde sanctitas quam constituunt, est revera ac vera sanctitas animæ. Habet insuper paritatem, quæ id evidenter probat, & in

hoc positam , quod sicut vita rationalis consistit in affectibus ad rationaliter vivendum , ita vita sancta consistit in affectibus ad sancte vivendum : Ubi præterea sicut affectus rationales sunt principia vera intrinseca operationum rationalium , ita affectus sancti , de quibus dictum est , sunt principia vera intrinseca operationum ad sanctificationem nostram spectantium . Igitur prædictata authoritas Concilii Tridentini recte intellecta non contradicit , imo suffragatur doctrinæ à nobis hactenus stabilitæ adversus entitatem , cui falsò tribuitur esse gratiam habitualē , unde justificatio nostra pendeat .

Argumentum quartum.

195. **A**rgumentantur quartò , & adjiciunt authoritatē catechismi Romani editi ex Decreto sacri Concilii Tridentini : in isto siquidem catechismo continetur , ut aiunt , omnis vera expositio sensus Catholicī , in quo prædicti Concilii decreta recipi debeant , vel maxime quia editus fuit à viris gravissimis , qui vel assidebant in Concilio , vel assidentium mentem omnino noverant . In isto itaque catechismo exponitur quidditas gratiæ habitualis justificatiæ omnino cohærenter ad id , quod in Scholis universis Catholicis assertur illam esse

qualitatem, scilicet habitualem supernaturalem productam divinitus in anima ad eam sanctificandam, ita quod anima ab hujusmodi entitate obtineat simul cum sua santitate omnem sanctitatis suæ splendorem ac puritatem. *Est autem gratia,* (hæc sunt verba catechismi jam laudati) *quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pñnâ anathematis propositâ decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhærens; veluti splendor & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & splendidiores reddit.* Quid autem est qualitas, nisi entitas de genere qualitatis? Igitur de fide est gratiam habitualem esse hujusmodi entitatem, cui Deus contulerit supernaturales prærogativas ad animam sanctificandam necessarias. Præterquamquod hic modus explicandi sanctificationem, quam gratia habitualis causat in anima, expeditissimus est; ubi tantum opus est recurrere ad unicam entitatem, quæ sanctificandi vim habeat: cum è contra, si non ad illam recurritur, opus sit infinitis verborum circuitibus, qui multò magis confundunt, quàm eluident difficultatem propositam.

Respondeo qualitatem esse quâ quales 196. dicimur: atque in hoc sensu quem puto esse verè Aristotelicum & lego ab Aristotele ipso expressum, quis neget gratiam, de qua agitur, esse qualitatem di-

vinam? Siquidem propter illam & Deus dicitur gratificans, & anima dicitur divinitus gratificata. Neque certè difficultas ulla est circa locutiones istas & similes sive sacri Concilii Tridentini, sive Catechismi Romani illud exponentis. Hinc ultra illas recipimus, & quoties expedit usurpamus. Sed tota difficultas est de sensu physico, quem locutiones illæ involvunt aut non involvunt; utrum scilicet involvant aut non involvant realem productionem entitatis physice, cui tribuendum sit esse qualitatem sanctificativam animæ. Et motivum difficultatis est, quia licet qualitas in sensu abstracto videatur importare entitatem, quæ non sit entitas sui subjecti; in sensu tamen physico non est alia entitas qualitatis, & alia entitas subjecti: alioqui res omnes spirituales non carent, imo abundarent compositione entitativa, quia non carent, imo abundant qualitatibus multis. Quia etiam Deus eapropter esset entitative compositissimus propter innumerabilia attributa, quæ obtinet & sunt qualitates illius. Unde verum quidem est qualitatem esse animæ, eamque supra modum omnem eximiam, quod sit sanctificata, quia hæc una qualitas innumerabiles alias involvit, ut quod sit grata Deo, pura, splendida, nata ex Deo, deificata, adoptata, instituta hæres regni coelestis, pulchra, renovata ad imaginem

Dei, &c. sed non ea propter habet quod sit sanctificata per ullam entitatem productam, quia potest non esse entitas producta, imo revera non est entitas producta, supernaturalis ille ad omne bonum affectus, per quem sit sancta, ut abunde supra probatum est. Sicut etiam verum est qualitatem esse Dei, quod sit sanctificans, imo qualitatem quæ multas simul complectitur: quia operatio Divina quæ est sanctificativa animæ, est etiam ejusdem gratificativa, deificativa, adoptativa, exornativa, &c. Sed nihilominus Divina illa operatio non est entitas producta. Et sic nihil obstant nostræ sententiæ locutio-nes sive Conciliares, sive Catechisticæ, quas Adversarii hucusque opposuerunt, ultroque admittimus illas in sensu abstracto, in quo admittendæ sunt: sed istum sensum abstractum discernimus à concreto sive physico, in quo admittendæ non sunt, & in quo Adversarii illas non admittunt, nisi propter Philosophica Aristotelica præjudicia jam toties impugnata.

Respondeo præterea expositionem, 197.
quæ mera est expositio fidei, non pertinere ad fidem, sed ad Philosophiam quam quisque sequitur: ac proinde veritatem illius non desumi ex re, quæ est fidei, sed ex principiis Philosophicis, quæ non sunt fidei, & inde fit ut pleræque res fidei in toto decursu Theo-

logico aliter & aliter exponantur prout quisque aliter & aliter , aut intra aut extra sectam Aristotelicam assuevit philosophari. Quare licet authores cathechismi Romani in expositione veræ justificationis , de qua agitur , locuti fuissent juxta Philosophiam Aristotelicam , quæ tunc temporis florebat & favebat formis tum substantialibus , tum accidentalibus ; adhuc tamen supereret discutiendum an non fuisset convenientius prædictam justificationem exponi juxta Philosophiam oppositam , quæ multis demonstrationibus convincit hujusmodi formas in sensu vulgari Aristotelico acceptas aut parum , aut nihil differere à Chimæris. Quod autem dicunt sic expeditius fieri & explicari omnem nostram justificationem , si admittitur forma seu qualitas justificativa , quam vocant gratiam habitualem , id equidem ita est ; sed nunquid præterea inquirendum est an id sit æquè verum ac expeditum ? Neque enim aliqua difficultas solvitur verè , quia solvitur expedite ; alioquin ad solutionem omnium difficultatum etiam Theologicarū verbūlūm sæpe unum sufficeret : uti si ad questionem , per quid Deus constituantur liber , aut justus , aut misericors , aut immensus , aut trinus , &c. responderetur per libertatem , per justitiam , per misericordiam , per immensitatem , per trinitatem , &c. Simile est quod hic agitur ,

dum quæritur per quid anima sanctificetur, & respondetur per qualitatem sanctificativam. Quis autem dubitat quin anima sanctificetur per qualitatem sanctificativam? sed nonne sciendum superest quid rei physice sit id, quod vocatur qualitas sanctificativa, an sit entitas producta, & qualiter sit producta, & qualiter sit sanctificativa, &c.? Unde apparet Theologos Aristotelicos hac in parte nihil praestare circa gratiam habitualem & justificationem ex ea pendentem, nisi quod praestant Philosophi ejusdem sectæ, dum explicaturi efficiuntur v. g. Magneticos recurrent ad qualitatem Magneticam, quam, ne quis interrogare eos presumat quid sit hæc qualitas, vocant *occultam*. Quare deberent pariter Theologi Aristotelici qualitatem justificativam vocare *occultam*: siveque omnis controversia uno verbo absolveretur: si tamen sic difficultas absolvitur, & non potius dissimulatur, imo confunditur.

Argumentum quintum.

Argumentantur quinto, & oppo-^{198.} nunt authoritatem Theologorum omnium Catholicorum, qui non modò communiter tuentur in suis scholis justificationem nostram fieri per interventionem & inhæsionem qualitatis cuiusdam

supernaturalis productæ , quam vocant gratiam habitualem; verum insuper contendunt id esse de fide , saltem ex quo tempore celebratum fuit Concilium Tridentinum , propterea quod in eo definitum fuerit gratiam , quâ justificamur , inhærente animæ. Quomodo autem , inquiunt , potest gratia , quâ justificamur , inhærente animæ , cum antea non inhæret ; nisi sit qualitas , eaque de novo producta , videlicet habitualis , spirituialis supernaturalis , cui Deus vim justificativam contulerit ? Sed præsertim id putant esse de fide propter parvulos baptizatos , quibus perinde ac adultis certum est gratiam habitualem justificativam infundi : cumque de cætero parvuli illi sint incapaces omnis actus ad justitiam attinentis , consequens est , inquiunt , justitiam quæ illis infunditur , esse habitum , id est , qualitatem habitualem : quæ vel est ipsa gratia habitualis , vel per illam præinfusam producitur simul cum cæteris virtutum Theologicatum & moralium qualitatibus habitualibus , quæ perfectam justitiam comitantur. Et hæc quidem authoritas Theologorum hujus ætatis omnium hac in re consentientium irrefragabilis est , tum propter plurima sanctorum Patrum suffragia , quibus illam communiunt , ut videre est apud Autores ; tum maximè quia licet non fuerit olim hâc eadem in re consensus tam unanimis , prævaluit tamen semper op-

nio, quā asserebatur tam parvulis quām adultis justificandis infundi informantem gratiam & virtutes: ut expressè habetur in Concilio Viennensi sub Clemente V. cap. 8. de summa Trinitate, & fide Catholica.

Respondeo authoritatem adductam & 199. petitam ex communi Theologorum consensu considerandam ac discernendam esse dupliciter, videlicet vel quatenus theologicē probant ex sanctis Paginis, Conciliis, ac Patribus justificationem, de qua agitur, non esse actualem, transitoriam, externam, imputatam, aut tantummodo peccatorum remissivam; sed habitualem, permanentem, internam, realem, inhæsivam, regenerativam, renovativam hominis interioris, &c. Vel quatenus philosophicē deinceps explicant id habituale, permanentes, internum, reale, inhæsivum, regenerativum, renovativum, &c. per quod & quale & qualiter habet anima esse justificatam seu justam, sive sanctam. Itaque si præmissa authoritas priori modo spectetur, admitto eam esse irrefragabilem, & revera profiteor pertinere, imo pertinuisse semper ad fidem, quod justitia, quā justificamur per gratiam Dei, sit habitualis, permanentes, interna, realis, inhærens, &c. quia si talis non esset, non esset vera, ut sæpius dictum est. At si posteriori modo attendatur quantum abest,

Deus bone, ut sit irrefragabilis: quandoquidem non superat autoritatem sectæ philosophicæ Aristotelicæ, quam tales Theologi profitentur, & juxta quam induxerunt qualitates spirituales & supernaturales ad effectus spirituales ordinis supernaturalis exponendos ex sola suppositione & ad instar qualitatum materialium, per quas passim explicant effectus omnes materiales. Sic enim dicunt corpora moveri per qualitatem motivam, & calefieri per qualitatem calefactivam, &c. & hinc asurgunt ut dicant animam justificari per qualitatem justificativam. Ubi nihilominus metaphysice loquendo etiam recipio animam justificari per qualitatem justificativam, quatenus id, per quod anima Divinitus sanctificatur, habet equidem titulum metaphysicum qualitatis; sed nego, si physice loquendum est, illud ipsum esse qualitatem ullam physice producram, quæ inhæret animæ sanctificatæ, sicuti neque inhæret Deo sanctificanti. Ac propterea contendo animam non sanctificari physice per hujusmodi qualitatem ullam, quippe quæ rationem nullam habet entis physici; sed per operationem Spiritus Sancti inhabitantis verè physicam & supernaturalem & habitualem & impressivam talium supernaturalium habitualium affectuum, in quibus posi-

ta est omnis præstantia justitiae sive sanctitatis , de qua agitur.

Respondeo rursus neque defuisse 200 . olim , neque hac ætate deesse inter Theologos , quorum unanimitas falso oppositur , dissensiones scholasticas , quæ satis indicant quām parum constet , quæ & qualis sit illa qualitas justificativa , de quā agitur. Nam sub pontificatu Innocentii tertii , ut constat ex Capite Majores de baptismo , vigebant pariter duæ opiniones , quarum unâ statuebatur justificationem fieri in parvulis baptizatis per remissionem culpæ , sed non per infusionem gratiæ ; ut alterâ propugnabatur oppositum : at neutra reputabatur vel de fide , vel contra fidem. Tum deinceps sub pontificatu Clementis quinti cœpit quidem prævalere opinio , quæ pro justificatione parvulorum , & adulterorum baptizatorum præter remissionem culpæ exigebat infusionem gratiæ informantis & virtutum ; sed non nisi probabilius prævalebat , ut patet ex istis verbis Concilii Viennensis. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi , quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis , opinionem secundam , quæ dicit tam parvulis quām adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes , tanquam probabiliorem & dictis sanctorum & doctorum Modernorum theologiae magis consonam &

concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam. Ubi adverte si placet verbum illud *Modernorum*, ut intelligas secundam illam opinionem, quæ attendendo ad suffragia doctorum modernorum probabilius dicta est, dicendam fuisse minus probabilem attendendo ad suffragia doctorum antiquiorum; quia videlicet doctores antiquiores non noverant formas illas ac formulas, quæ deinceps invaluerunt, quando cœpit prædominari jure an injuriā in scholis Christianis Platoni Aristoteles. Sed neque adhuc satis constat inter Theologos hujus temporis quid rei physicæ sit prædicta qualitas seu formula justificativa: alii enim assertunt hominem posse divinitus justificari absque illa; & alii affirmant illam non esse justificativam nisi ex valore externo; alii præterea dicunt posse qualitatem illam animam afficere, nec tamen justificare; nec desunt qui opinentur illam non tam esse operatricem, quam significatricem nostræ justitiae; &c. Quæ plurima multiplicitas opinionum, si bene attenditur, probat non satis constare quid rei physicæ sit illa qualitas: imo neque satis constare an sit. Atque hinc vides ausum, quo talis qualitas de medio tollitur, non esse ut Adversariis videatur, tantopere redarguendum; vel maxime quia aliunde illa nunquam enata

enata est, quām ex errore Philosophico Aristotelico, propter quem ex formis & qualitatibus materialibus ordinis naturalis falso admissis ventum est ad admittendas formas & qualitates spirituales, immo supernaturales, de quibus aliās cogitatum nunquam fuisset; ut revera cogitaverunt nunquam de illis antiqui ac sancti scriptores, quia vel Aristotelem non noverant, vel postponebant Platonis.

Argumentum sextum & ult.

Argumentantur tandem sextū, & op. 201.
ponunt hanc rationem theologiam, quam putant invictam. Dicunt itaque hoc esse discriminis inter amorem Divinum & nostrum, quod noster supponit in rebus bonitatem quae amatur: amor autem Divinus producit in rebus bonitatem amatam. Deinde vero quia nihil aliud est amare, quam velle bonum rei amatæ; hinc Deus quando amat aliquem amore naturali, producit in eo bonum naturale quod amat, & quando amat illum amore supernaturali, producit in illo similiter bonum supernaturale quod amat. Unde inferunt quod sicut datur in rebus naturæ bonitas naturalis à Deo producta, quæ simul est objectum & effectus amoris naturalis Divini, ita datur & in rebus gratiæ, id est, in animabus justis bonitas

supernaturalis à Deo producta , quæ si-
mul erit objectum & effectus amoris
supernaturalis Divini : ita quod sicut
Deus volens hominem esse naturaliter
sanum aut pulchrum , producit in eo
bonitatem naturalem , videlicet inhæ-
rentem sanitatis aut pulchritudinis , sic
etiam volens hominem esse supernatu-
raliter sanum aut pulchrum , producit in
eo bonitatem supernaturalem pariter
inhærentem sanitatis aut pulchritudinis:
Et hæc est qualitas supernaturalis , quæ
reddens animam sic sanam & pulchram ,
redit simul justam , id est gratiam Deo ,
Deo similem , Dei Filiam , hæredem
Dei , cohæredem Christi , &c. Ergo jus-
titia seu sanctitas illa nostra supernatu-
ralis , de qua agitur , est bonitas seu
qualitas quædam supernaturalis inhæ-
rentis animæ & à Deo producta , ut erat
probandum.

202. Respondeo hoc argumentum nihil pro-
bare , si aliunde non probatur , quod uti-
que non probatur , bonitates seu quali-
tates naturales , quas Deus amat in re-
bus creatis & amando confert , esse to-
tidem entitates seorsim productas &
distinctas ab entitatibus ipsis talium re-
rum : nisi enim id probetur , unde in-
fertur bonitates seu qualitates superna-
turales , quas Deus amat in animabus
justis & amando confert , esse entitates
productas & distinctas ab entitatibus ip-
sis talium animarum ? Sive , quod idem

est, unde infertur justitiam habitualem, quæ omnes qualitates illas sub se una complectitur, esse entitatem productam & distinctam ab entitate animæ, quæ est justificata? Et nihilominus hoc unum est quod controvertitur: nam de cætero quis negat animam esse justam, quia Deus vult eam esse justam, & voluntate suâ operativâ efficit ut sit justa? Sed quæstio est an talis justitia sit entitas producta, vel saltem an sit effectus entitatis supernaturalis productæ, qualis illa est, quam vocant gratiam habitualem. Tum vero ut convincaris bonitates seu qualitates naturales, quas Deus amat & confert rebus creatis, non esse entitates productas & distinctas, qualiter Adversarii reputant, cogita animam à Deo creatam simul cum entitate sua naturali quam recipit, recipere sanitatem suam, suam pulchritudinem naturalem, suam intelligentiam, suam voluntatem, suam memoriam, suam immortalitatem, suam spiritualitatem, quin & intelligentiæ suæ perspicaciam, & voluntatis libertatem, & felicitatem memoriarum, & immortalitatis suæ ac spiritualitatis dores ac prærogativas multas, quas si pro totidem entitatibus realiter productis & inherentibus, & abs se invicem perinde ac ab anima distinctis computares, quid nisi animam

ex entitatibus multis componeres, quamvis sit entitativè incomposita? Atqui nec minus illam componeres si pro totidem entitatibus realiter productis & juxta sensum Aristotelicum distinctis ac inherentibus computares virtutes ac dotes cæteras seu bonitates, quas supernaturalis justitia secum importat. Igitur probant equidem Adversarii Deum in anima, quam amat, efficere id quod est eam esse gratiam, sanam, pulchram, &c. sed non probant gratiam, per quam fit grata, sana, pulchra, &c. esse entitatem productam; ac multò mindis probant sanitatem, pulchritudinem, & cæteras animæ dotes supernaturales esse entitates productas. Neque verò id unquam probabunt, quia vera Philosophia non patitur hujusmodi qualitatum sive talem productionem, sive talem inherenteriam, qualem hactenus somniatis sunt.

203. Respondeo præterea mirum esse qualiter Adversarii putent non posse Deum conferre suis creaturis, non dico bona naturalia, quæ sunt qualitates seu proprietates earum naturales; sed neque supernaturalia, quæ sunt qualitates earum seu proprietates supernaturales, absque interventu entitatum, quas producat & illis inserat. Ac ne de illis bonis naturalibus loquar, quæ ad rem nostram minus faciunt, attendo tantum ad ista supernaturalia bo-

na, & dico posse haud dubie animam moveri immediate & supernaturaliter à Deo, nempe tali motione, quæ sit illuminatio, admonitio, suasio, præceptio, &c. Id autem quod est animam sic moveri à Deo nonne est bonum animæ, imo bonum supernaturale? Ergo potest Deus conferre animæ bonum aliquod supernaturale independenter ab ulla entitate producta. Nisi dixeris, quod multum implicat, motionem passivam animæ esse entitatem productam, & hanc entitatem esse bonum illud quod Deus confert: nisi inquam id dixeris, quod multum implicat, quia hæc entitas non esset entitas animæ; & sic neque esset motio passiva animæ, neque esset bonum illud, quod animæ confertur: Vel maxime quia bonum, quod confertur animæ, fit bonum animæ; atque ita entitas, quæ non evadit entitas animæ, nec evadit bonitas animæ; sicut accidit in coniunctione quarumlibet entitatum, quarum nunquam una fit sive altera sive alterius; quia quantumlibet coniunctæ non mutantur in invicem; sed immutatae, imo immutabiles perseverant. Aliunde autem satis concipitur qualiter motiones intellectuales supernaturales, quas anima recipit immediate à Deo, sint bonitates supernaturales ejusdem animæ; quia omnis motio ex hoc quod est convenientis naturæ quæ movetur, est quod-

dam bonum illius aut naturale aut supernaturale , prout aut naturaliter aut supernaturaliter movetur : ita animæ bonum supernaturale quoddam est illuminari , admoneri , suaderi , præcipi , inclinari ad actus supernaturales virtutum . Uade appareat bona supernaturalia ac sola bona supernaturalia animæ consistere in his supernaturalibus motionibus passivis , per quas à Deo moves-
tur ad operandum actu aut habitu : quæ & suæ ejus bona vere interna ac intima , à quibus obtinet esse Deo gratam , esse deificatam , esse sanam , esse pulsitam , &c. Et uno verbo esse justam eâ supernaturali justitiâ , de qua agitur .

204. Omisi de cætero multa alia ratiocinia theologica , quæ adduci solent ut probetur Deum adhibere qualitates supernaturales pro effectibus gratiæ , ex hoc quod naturales adhibeat pro effectibus naturæ : ideo verò omisi illa ; quia nihil concludunt , nisi ex suppositione quod in rerum natura dentur hujusmodi qualitates sive spirituales sive materiales , quales Philosophia Aristotelia recipit ; sed falso & gratis & superflue , ut jam millies probatum est . Quia-
te postquam hactenus unâ alteraque responsione solui singula cæterorum argumentorum , quæ potioris ponderis videbantur in favorem ejus gratiæ habitualis , quam Adversarii putan-

esse accidens productum , expedit ut ea
jam in medium proferam , quæ multò
solidius , nisi fallor , probant ex
adverso accidens hujusmodi produc-
tum nullatenus consentaneum esse ,
imo esse valde oppositum veræ no-
tioni gratiæ habitualis , ac totius ,
quæ ex illa pendet , justificationis
nostræ .





ARTICULUS VI.

*AN E CONTRA VÉRIUS
explicetur quidquid spectat ad
gratiam habitualem ponendo quod
non sit accidens, videlicet pro-
ductum, & in sensu Theologico
Aristotelico acceptum?*

205. **P**RÆMITTO proprium esse crea-
turis spiritualibus, quod frequen-
tissimè dictum est, moveri spi-
ritualiter, sicut corporalibus moveri
corporaliter: ac rursus sicut motus cor-
porales sunt omnes secundùm locum,
ita spirituales fieri secundùm affectum,
cognitionis videlicet aut amoris. Iste
itaque affectus, qui sunt vel actuales,
vel habituales, sunt soli proprii mo-
tus creaturarum spiritualium: licet
enim creaturæ spirituales uti Angeli,
& animæ rationales movere se ex se
ipsis, & ab invicem moveri, non mi-
nus quam corpora, possint localiter,
imo vim habeant ad corpora localiter
movenda; nihilominus id non compe-
tit illis præcise secundùm quod spiri-
tuales sunt; sed secundùm quod spiri-

tuales cum sint , continent eminenter perfectiones tum activas , tum passivas rerum corporearum. Nunc autem quidquid interim sit de localibus istis seu activis seu passivis rerum spiritualium motibus , qui non occurunt considerandi , ad illos tantum attendo , qui sunt merè spirituales , & illos dico consistere in affectibus vel actualibus vel habitualibus cognoscendi & amandi : ita quod creaturas spirituales movere se aut moveri spiritualiter nihil aliud sit , quam inclinare se aut inclinari vel actu vel habitu ad cognoscendum & amandum. Cumque istæ & non aliæ sint motiones vere ac proprie spirituales , quis hinc statim non infert creaturas spirituales non posse intra quemcumque ordinem aut naturalem aut supernaturalem perfici sive gratificari , quam per communicationem prædictorum alterutrius ordinis affectuum actualium vel habitualium sive cognoscendi sive amandi ? Ego quidem id infero , ac properea specialiter contendo perfectionem sive gratificationem habituali supernaturalem , de qua jam agitur , in motione aliqua affectuosa habituali supernaturali consistere , minimè vero in ulla tali entitatula aut formula accidentali producta & inherente , qualis ex præjudiciis philosophicis Aristotelicis vulgo adducitur.

Præmitto insuper , quod toties re-206.

petitum est , omnes motiones ordinis
tum naturalis , tum supernaturalis à
Deo impressas animæ & in ipsa recep-
tas , esse affectiones ejusdem animæ :
quia non potest fieri ut anima movea-
tur , quin afficiatur per motionem quā
moveatur , ad actus ejus ordinis , cuius
fuerit illa motio . Istæ autem affectio-
nes vel sunt merè transeuntes vel per-
manentess ; quod utique contingit ob
differentiam divinæ motionis per quam
causantur : quia videlicet illa motio
vel est tantum leviter impressa & sic
non causat affectionem nisi transeuntem ,
vel est graviter impressa , ita ut æquiva-
leat motionibus multis iteratâ ac conti-
nuatâ serie repetitis , & sic causat affec-
tionem quæ permanet : sicut interdum
nobis contingit aliquem actum sive
cognitionis sive amoris ita esse inten-
sum , ut in sua respectivè potentia quæ
est vel intellectus vel voluntas , relin-
quat affectionem non minus permanen-
tem , quam alius remissior , qui fuisse
etiam frequentissimè repetitus . Hinc
potest à pari Deus dupliciter conferre
animæ affectionem permanentem sive
habitualem ad actus fidei , spei , amo-
ris , humilitatis , fortitudinis , &c.
vel per continuatam seriem motionum
ad actus prædictos inclinantum , vel
per impressionem unius motionis , quæ
licet una , nihilominus ob vim suam
majorem æqualeat multis vim mino-

tem habentibus. De cætero autem cum non convenient animæ motiones aliæ quam intellectuales, quia tota intellectualis est; sequitur omnem affectionem ipsi advenientem ab intellectuatione seu illuminatione aliqua derivari, videlicet supernaturalem à supernaturali, & à naturali naturalem: atque ita omnis gratia ut ex parte animæ est illuminatio quædam passiva, sic ex parte Dei est illuminatio quædam activa. Hinc optime explicatur illud proverbiorum 4. *Fusorum semita sicut lux splendens*, quia omnis gratia nostra nihil est nisi quædam unius Divini splendoris impressio, unde virtutum omnium ac singularum singulares splendores derivantur, sicut ait D. Christ. in oratione de cæco ad illud Prophetæ Regii & sit splendor Domini Dei nostri super nos. Unus quidem est splendor, inquit, sed in nos immensus multos splendores producit; splendorem eleemosynæ, splendorem temperantie, splendorem hospitalitatis, splendorem amoris fraterni, &c.

Præmitto præterea, quamquam & hoc^{267.} fuit satis superque hactenùs insinuatum, affectionem omnem passivam impressam esse representativam id est expressivam motionis activæ ipsam imprimentis: unde fit affectiones moventis & moti esse similes, sicut accidit in affectionibus suadentis, & ejus qui suadetur. Et videtur omnino consequi iste discursus ex

illo principio, quod, tradidit D. Thomas
I. p. q. 106. art. 8. *Omnis inclinatio ali-
cujus rei vel naturalis vel voluntaria nihil
aliud est quam quedam impressio à primo
movente, &c.* Igitur omnis impressio
quæ sit per motionem inclinantem ad bo-
num est inclinatio ad bonum, ideoque
est virtus: atque ita impressiones om-
nes, quæ sunt in anima à Deo super-
naturaliter ipsam movente & inclinan-
te ad bonum, sunt virtutes supernatu-
rales animæ, quia per eas anima vir-
tuose intra ordinem supernaturalem af-
ficitur; sicut etiam sunt gratiae ejusdem
animæ, vel ex hoc uno quod sunt gratui-
tæ. Propterea quoque sicuti Deus est
solus author gratiarum nostrarum, ita so-
lus est author virtutum nostrarum. Hinc
vocatur Deus virtutum passim in sacris Bi-
bliis; & ab Ecclesia sic invocatur, Deus
virtutum, cuius est totum quod est optimum,
&c. Ac deinde quia similitudo natura-
rum non rectius arguitur quam ex simi-
litudine affectuum, hinc constat non
posse convenientius affilari animam
Deo, quam per affectus iis similes, qui
in Deo sunt vel formaliter vel eminen-
ter; ac præsertim per affectum ad quæ
bonum ei similem, qui Deo connatu-
ralis, propriusque est. Audi jam D.
Irenæum de prædicta supernaturali im-
pressa similitudine, quæ configatur,
compingitur, conformatur anima Deo,
sic loquentem lib. 4. c. 76. adversus
hæreses.

hæreses. Præsta ei cor tuum molle & cus-
todi figuram, quâ te figuravit artifex, &c.
& B. Cyrillum lib. 4. in Isäjam orat. 2.
Formatur quisque in Filium Dei intelligi-
biliter informatus Divinarum legum scientia
ad speciem effigiemque excellenter, que
virtutum ornata in animis hominum in-
haret, &c. Simile est quod aiebat S.
Amb. lib. 6. in Exactm. c. 8 Pictus es ô ho-
mo, & pictus es à Domino Deo tuo; ho-
num habes artificem atque pictorem; noli
bonam delere picturam, non fugo, sed
veritate fulgentem; non cerâ expressam, sed
gratiâ, &c. Quæ omnia multum condu-
cunt ad intelligendam quidditatem gra-
tiae habitualis assimilans animam Deo,
& adoptantis, & instituentis hæredem,
& decorantis, &c. uno verbo sanctifi-
cantis.

Præmitto denique, quod etiam nou 208.
semel affirmatum probatumque est, non
posse animam sanctificari, quia hæc ani-
mæ sanctificatio est vera ejusdem ani-
mæ passio, nisi per actionem sanctifica-
tivam seu impressivam ejus perfectionis
supernaturalis, quæ est & vocatur sanc-
titas. At hujusmodi actio utique est
actio alicujus agentis, ideoque vel crea-
ti, quod nemo dixerit, quia sanctifica-
tio, de qua agitur, est tota supernatu-
ralis; vel increati, & hoc quidem agens
increatum Deus est. Hinc quamvis Deus
crearet & implantaret in anima talem en-
titatem, qualem vocant gratiam habitu-

lem; hæc quidem entitas posset esse in anima veluti ad ornatum, si tamen ornari anima potest per entitatem extraneam; sed entitatis illius nulla esset intelligibilis actio, cui conveniret esse sanctificativam animæ: ac proinde supereft ut cuidam soli actioni Divinæ competat esse sanctificativam illius. Vide supra n. 163. & seq. Eapropter quia aliunde constat sanctitatem animæ nihil esse nisi affectum supernaturale ad omne bonum, mihi semper visum est omnium controversiarum Theologicarum circa sanctitatem, quam in anima parit gratia habitualis, decisionem pendere ex sola intelligentia modi, quo per operationem aliquam Divinam possit imprimi in anima prædictus affectus supernaturalis ad omne bonum; vel maximè quia sub isto affectu supernaturali ad omne bonum continentur omnes affectus particulares ad bona particularia virtutum, in quarum possessione habituali consistit adæquata & cumulata sanctitas.

209. His præmissis, quæ tamen non tam præmittenda quām repetenda, aut certe in compendium concinnanda erant, ut uno obtutu appareret tota veritas doctrinæ nostræ adhuc magis stabilendæ, proferam sex argumenta, quibus modò positive, modò negative probabitur quām superflua, quāmque parum idonea sit ad explicandam sive quidditatem physicam gratiæ sanctifican-

tis, sive totam physicam seriem ac sublimitatem nostræ sanctificationis entitas illa, quam Scholastici vulgo vocant gratiam habitualē. Quia tamen quæ afferentur argumenta non obtinerent forte suam vim omnem demonstrativam, nisi jungerentur cum superioribus multis; quibus ostensum est divisiō per singulos articulos quot & quantis contradictionibus subsit prædicta entitas, ubi explicandum occurrit quid rei physicæ sit gratiam habitualē produci, recipi, conservari, amitti, &c. rogo lectorem, ut si quid consequentibus ratiociniis defuerit ad convictionem, id ex antecedentibus suppleat, ne sim nimius. Quamquam forte non possum esse nimius, ubi non potest nimis elucidari difficultas, ex cuius resolutione, nisi fallor, pendet omnimoda intelligentia sanctissimi ac divinissimi illius, doni, quod sanctificat, imo deificat animam, & vocatur quidem ab omnibus gratia habitualis; sed aliter aliterque apprehenditur, vel sub conceptu qualitatis habitualis productæ, & sic quidem vulgo concipitur; vel sub conceptu actionis Divinæ habitualis improductæ, quæ una est, ut contendimus, quæ sanctificare habitualiter animam, in qua recipitur, possit per impressionem universalis ac supernaturalis ejusdam ad bona supernaturalia affectus, in quo consistit sanctitas.

Argumentum primum.

210. **A**rgumentum hoc primum stabilio in eo quod apud Theologos scholasticos vulgare est, sanctificationem habitualem, de qua agitur, esse supernaturalem animæ creationem, pro qua statuenda adducunt cap. 17. Ecclesiastici, ubi post hæc verba, quæ ad priorem & naturalem animæ creationem referuntur, *D*eus creavit de terra hominem & secundum imaginem suam fecit illum statim additur, & iterum convertit illum in ipsam, & secundum se vestivit illum virtute, quibus verbis contendunt posteriorem aliam & supernaturalem creationem animæ satis exprimi. Verum hanc clarius expressit Apostolus ad gal. 5, in Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque preputium, sed nova creatura. Et ad Ephes. 4. Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est. Nec non 2. ad Cor. 5. ubi ait, Si qua nova creatura, &c. Quæ verba D. Aug. super psal. 102. explicans, sic interrogat. *Nova creatura que facta est?* & respondet, *Omnis credentes in Christum.* Nunc itaque sic discurro. Si naturalis creatio animæ nullam importat productionem entitatis ab ipsa distinctæ & ipsi insitæ, nullam quoque importat hujusmodi productionem & insertionem supernaturalis creatio ejusdem

animæ. Et hæc quidem propositio major conditionalis paritatem habet satis apertam , quia mutatio quæ accidit animæ per creationem naturalem non est minor , quæm quæ accidit illi per supernaturalem , imo major videtur : quatenus quiddam majus est , quoad id præcise quod est mutari , transfere ex nullo statu in statum naturalem , quæm ex statu naturali in statum supernaturalem transferri : siquidem nihil & res quæcunque magis opponuntur , quæm res quæcunque una alteri , ac proinde etiam magis opponitur status nullus cuivis statui , quæm quivis status alteri , uti supernaturalis naturali. Venio jam ad minorem. Atqui naturalis creatio animæ nullam importat productionem entitatis ab ipsa distinctæ & ipsi insitæ. Quam propositiōnem si quis negaret , illico cogeretur ad admittendum non posse entitatem aliquam creari absque creatione & insertione alterius cuiusdem in ipsa. Quod est plane ridiculum ; quia creatio & insertio posterioris nihil assert ad creationem prioris , vel maxime quia prior supponenda est creata , antequam posterioris insertionem admittat. Unde concludo fictitiam protus esse entitatem , quæ vulgo putatur creari & inseri animæ , quasi hæc non possit creari supernaturaliter absque illa.

Atque ut hanc paritatem , in qua totius argumenti vim posui , dilucidius

capias , cogita naturalem animæ creationem nihil esse , nisi transitionem illius ex statu nullo in statum naturæ , sicut ejusdem animæ creatio supernaturalis nihil est , nisi transitio illius ex statu naturæ in statum gratiæ . Unde si potest anima esse id quod est naturaliter , absque entitate quacunque alia producta sibiique insita , cur non poterit absque ulla tali entitate esse id quod est supernaturaliter ? Vel maxime quia pro utroque statu animæ sive naturaliter sive supernaturaliter creatæ entitas quæcunque producta intelligibilis esset ei extranea , ideoque ad creationem ejus non pertineret , quia non pertinet ad creationem alicujus rei quidquid ab illa aliqua re creata distinctum est . Atque ita sicut anima obtinet naturam suam , quæ est cumulus suarum perfectionum naturalium , independenter ab omni alia entitate , quæ vel sit natura vel efficiat naturam illius ; ita eadem anima obtinet gratiam suam , quæ est cumulus suarum perfectionum supernaturalium , absque omni pariter entitate producta , quæ vel sit gratia vel efficiat gratiam illius . Ergo denique tam fictitia est entitas illa per quam vulgo putant conferri animæ id quod est eam esse gratificatam , quam fictitia esset alia , per quam quis putaret conferri animæ id quod est eam esse naturatam . Et hoc quidem

vocabulum animæ naturatæ etsi barbareum , non est tamen insolitum apud Philosophos , qui , ut nemo non novit , naturam dividunt in naturantem quæ Deus est , & naturatam , quæ est omnis res creata , uti anima. Unde posset dividi ac meritò divideretur gratia in gratificantem quæ Deus est , & gratificatam quæ est anima : sicque facilius innotesceret nec in naturali , nec in supernaturali creatione animæ occurrere quicquam considerandum & admittendum præter Deum qui per se aut naturaliter aut supernaturaliter creat animam , & eandem animam , quæ per se solam à Deo vel naturaliter vel supernaturaliter creatur : & sic ab utraque creatione ista omnem entitatem aliam productam & insertam pariter exulare.

Neque obstabit paritati quam arguitur . id quod fortè aies occurtere aliquid creatum assignabile , quando creatur anima naturaliter ; creatur enim entitas animæ : at in creatione illius supernaturali non creatur entitas animæ , quia evidentissime repugnat entitatem , quæ jam creata est , creari. Ergo creatur aliquid aliud ; quia non minus repugnat ibi esse creationem , ubi nihil creatur. Quid autem erit illud aliud creatum , nisi entitas quam Theologi vocant gratiam habitualem , & affirmant esse creatam in anima , eidemque insertam , nempe ad hoc ut sic

inserta illam sanctificet? Unde sequitur aut sanctificationem animæ non esse creationem illius supernaturalem, contraquā diximus & probavimus ex sacris paginis: aut certe creationem istam importare creationem alicujus entitatis animam sanctificantis. Quare tantum abest ut paritas præmissi argumenti entitatem hanc animæ sanctificationem explodat, ut eam potius stabilit. Præterquam quod in creatione naturali animæ non desunt potentiae ac virtutes naturales, quas Deus in ea concrebat: unde si à pari discurrendum est de creatione illius supernaturali, non deerunt etiam potentiae & virtutes supernaturales, quas Deus in anima concrebat: istæ autem potentiae & virtutes concreari non possunt, si non simul, imo priùs creturæ entitas, quam Theologi vocant gratiam habitualem, & affirmant esse originem ac radicem potentiarum hujuscemodi & virtutum.

Non, inquam, id totum obstat; quia etsi paritatem adductam uteunque impugnet, revera tamen non impugnat sensum in quo adducitur, & juxta quem verificatur nihil in creatione animæ naturali creari, quod non sit anima: unde inferebam nihil in creatione ejusdem supernaturali creari pariter, quod non sit anima. Quod autem in priori creetur entitas animæ, in posteriori autem non creetur, quia jam est creata; id se ha-

bet per accidens: nam de cætero si anima simul naturaliter & supernaturaliter crearetur, in utraque creatione occurseret anima creata; sed nulla alia occurseret entitas creata: quia cujusvis entitatis alterius creatio nullius esset connexionis, nulliusque considerabilitatis referendæ ad animæ creationem sive hanc, sive illam. Quod vero aiunt in omni creatione creari aliquid, id equidem verum est in omni creatione absolute, quæ est translatio entis ex nullo statu in aliquem; sed non in relativa, quæ tantum est translatio entis ex uno statu in alterum: quando autem dictum est & probatum animam, quæ sanctificatur, creati supernaturaliter, id fuit intellectum & intelligendum fuit de creatione supernaturali relativa, per quam anima ex nihilo status supernaturalis elevatur ad statum supernaturalem, in quo per Divinam aliquam operationem supernaturalem habitualem, videlicet illuminativam impressivam affectuum supernaturalium accipit, in quantum accipere potest, esse & posse quoddam Divinum: quo modo vere deificatur, sive sanctificatur, ut saepe saepius enarratum est.

Quod vero adjiciunt non deesse in creatione naturali animæ entitates in ipsa concreatas potentiarum ac virtutum plurimarum naturalium; unde reputant neque deesse in creatione sur-

pernaturali ejusdem animæ entitatis in
ipsa concreatas potentiarum ac virtutum
supernaturalium, inter quas præemi-
neat entitas, quam vocant gratiam
habituellem; non fundatur nisi in præ-
judiciis philosophicis Aristotelicis, ex
quibus inferendum occurret animam
non esse entitatem simplicem, sed mo-
lem ac coagmentationem plurium en-
titatum, quarum nulla scorsim esset
entitas animæ, sicut nulla pars corpo-
ris humani est corpus humanum, quod
utique non est nisi compages partium
unitarum, ex quibus coacervatur.
Hinc vide quādū minus simplex eva-
deret entitas animæ, si potentiae ac
virtutes supernaturales naturalibus su-
peradditæ, essent totidem entitates tum
abs se invicem distinctæ, tum ab illa
entitate præminentem, quam vocant
gratiam habituellem. Igitur contra om-
nem verisimilitudinem est quidquid
aiunt de priori multiplicitate entitatum
naturaliter concretarum in anima, ac
multò magis quidquid fingunt de mul-
tiplicitate posteriori entitatum, quæ
comitarentur supernaturalem animæ
creationem. Vel maximè quia, ut ali-
bi ostensum est, omnes hujuscemodi
entitätes extranæ essent ad animam,
quantumvis cum illa coniunctæ; nec
inter perfectiones illius reputarentur,
sicut nec anima evadit perfectio cor-
poris, aut corpus perfectio animæ,

non obstante reciproca unius & alterius connexione penetrativa. Quem itaque errorem de multiplicitate entitatum præsertim in rebus spiritualibus admissa quis non videt debere corrigi , nec posse eo incorrecto manente Aristotelicos unquam accurate philosophari: pendet autem talis erroris præventio ex hoc quod non advertant , aut potius advertere nolint res omnes , ac præsertim spirituales , posse absque introducta ulla varietate entitatum excipere varietatem incredibilem statuum.

Argumentum secundum.

Argumenti hujus secundi convic-^{215.}
tio eruetur ex verbis illis 2. pe-
tri 1. per quem (Christum) **maxima**
& **preciosa nobis promissa donavit** , ut
per hoc efficiamini **Divinæ consortes natu-**
re. Unde Theologis omnibus placet
inferre ac meritò quidem , primarium
ac præstantissimum gratiæ Divinæ habi-
tualis effectum , esse felix illud con-
sortium , quo anima fit omni digniori
modo , quo potest fieri , particeps
Divinitatis. Atque in hac participa-
tione fundatur , ut aiunt , cæteri om-
nes gratiæ Divinæ habitualis effectus ,
secundum quos anima assimilatur Deo ,
affiliatur Deo , & instituitur hæres
Dei , cohæres Christi , & evadit Deo

grata , amica , pulchra , plena & amans
virtutum omnium , tandem & uno ver-
bo sancta : quia sanctitas hæc omnia
supernaturalia ac permanentia bona si-
mul involuit. Itaque jam propositi mei
est ostendere participationem Divinita-
ris illam , quæ sit in anima per gratiam
habitualē , nullatenus posse per eam
fieri ; supposito quod hæc gratia sit ta-
lis entitas producta , qualis esse vul-
go putatur ; sed omnino posse fieri ,
imo convenientissime fieri per eam , da-
to quod consistat in operatione Divina
supernaturali supernaturalium affectuum
impressiva , qualem sæpe explicui : &
sic discurro. Animam fieri supernatura-
liter participem naturæ Divinæ / de qua
supernaturali participatione jam sermo
est) nihil aliud est , quam participem
fieri principii cuiusdam Divini superna-
turalis operativi similis principio illi
supernaturali operativo , quod est pro-
prium Deo : quia nimirum hanc natu-
ræ Divinæ participationem , de qua
agitur , nemo unquam putabit fieri per
identitatem ; sed tantummodo per affi-
mationem : aliunde verò satis constat
naturam cuiuslibet rei non nisi in prin-
cipio ejusdem operativo tum activo ,
tum passivo consistere ; & eapropter de-
finitur *principium motus & quietis*. At-
qui entitas illa , quam vocant gratiam
habitualē & supponunt produci , in
serique animæ , non potest esse in ani-

ma principium supernaturale operativum simile principio illi supernaturali operativo , quod est proprium Deo. Primo quia principium supernaturale operativum , quod animæ communicatur , debet esse principium intellectivum ; alioqui non esset simile principio Divino supernaturali operativo , quod utique intellectivum est ; talis autem entitas nihil habet intelligentiæ. Et secundò quia principium operativum est intrinsecum operanti , id est , intrinsece suum , ac proinde etiam indistinctum : talis autem entitas quantumcunque intima , ac intime inserta animæ distingueretur entitative ab anima ; ac proinde esset illi extranea ; & sic non esset principium illud operativum animæ communicatum , de quo agitur. Unde concludo nullatenus posse fieri , imo nec idonee explicari per hujusmodi entitatem productam & insertam animæ , participationem , quæ in ea fit naturæ Divinæ , & prodit à verâ gratiâ habituali.

Neque parum proderit ad facilius 216. capiendam hujusce mei discursus efficaciam , si tecum attendas duplicem esse naturæ Divinæ participationem convenientem animæ ; naturalem unam , quæ convenit illi ex conditione naturali suæ originis ; supernaturalem alteram , quæ convenit illi ex conditione ejusdem suæ originis supernaturaliter elevabilis. Peg

priorem habet anima esse similem Deo spectato in ratione entis , sive agentis naturalis , seu , ut ajunt , authoris naturæ : sicuti per posteriorem habet rursus esse similem Deo considerato in ratione entis sive agentis supernaturalis , aut , ut aiunt , authoris gratiæ . Prior autem participatio quid importat nisi intellectualitatem , quæ est ipsi naturale principium cogitandi , credendi , sperandi , diligendi , & uno verbo agendi ac patiendi quidquid ipsi in ratione entis & agentis naturalis intellectivi convenit cogitare , credere , sperare , diligere , & uno verbo agere ac pati ? Ergo posterior nihil aliud quoque importat nisi eandem intellectualitatem , sed elevatam ; quæ est ipsi animæ deinceps principium supernaturale cogitandi , credendi , sperandi , diligendi , agendi tandem & patiendi quidquid ipsi in ratione entis & agentis supernaturalis convenit cogitare , credere , sperare , diligere , agere tandem & pati . At principium naturale intellectivum , per quod anima priori modo naturam Divinam participat , est ipsi intrinsecum , & ab ipsa indistinctum . Ergo & principium supernaturale intellectivum , per quod anima posteriori modo naturam Divinam participat , erit pariter ipsi intrinsecum & ab ipsa indistinctum : alioquin esset ei principium non suum , sed extraneum , ac non minus quam principium intellectivum An-

geli, qui totam animam penetraret. Unde sicut anima non posset quicquam sive naturaliter, sive supernaturaliter intelligere, aut velle, aut credere, &c. per Angelum, quantumvis ipsi conjunctum; ira nihil ac multò minus intelligere posset per entitatem non intellectivam à se distinctam, quantumvis secum conjunctam. Quare jam omnino constat non posse per illiusmodi entitatem fieri istam naturæ Divinæ participationem, de qua loquitur D. Petrus his verbis supra relatis, *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamini Divinæ consortes naturæ.*

217.

Pergo nunc & dico convenientissime è contra fieri atque explicari participationem istam Divinæ naturæ in anima per gratiam habitualem conceptam sub notione Divinæ cuiusdam operationis supernaturalis habitualis impressivæ affectum supernaturalium supernaturalibus Divinis consimilium; quia similitudo naturarum non potest melius perfici, quam per impressari affectum similitudinem: sicut hæc affectum similitudo non arguitur melius, quam ex similitudine operationum. Hinc sicut ea corpora dicuntur inter se similia, quæ similitudinem habent proportionum, delineationum, colorum, &c. ita spiritus illi dicuntur inter se similes, qui similitudinem habent affectum.

Aaz

tuum, & operationum ex talibus affectibus prodeuntium. Ergo anima non potest consimilior Deo fieri, quam per affectus, & actus Divinis similes; ac præsertim per affectus, quia permanent, & ad permanentiam naturæ magis accedunt. Unde quia gratiæ habitualis est communicare animæ naturam Divinam, & aliunde hæc communicatio consistit, ut jam dixi, in communicatione affectuum Divinis consimilium; sur si potest operatio aliqua Divina esse communicativa talium affectuum, non ei tribueretur esse gratiam veram habitualem? At potest operatio aliqua Divina, videlicet supernaturalis habitualis, illuminativa imprimere animæ tales affectus; imo una ac sola talis illuminatio illos imprimit, quia non potest ad talēm operationem non subsequi impressio relicta habitualis, sicuti motio illuminativa supponitur habitualis, aut propter sui repetitionem, aut propter vim repetitioni æquivalētem. Vide supra n. 206. Atque ita hinc habes in anima affectus Divinos sive Divinis similes per prædictam operationem impressos, sicut in istis affectibus habes formam naturæ Divinæ, id est bonitatis Divinæ, justitiæ Divine, misericordiæ Divinæ, &c. De quâ formâ loquitur S. Aug. lib. 15. de Trinitate cap. 8. *Natura in rebus creatis excellētissima cum à suo creatore ab impietate*

justificatur , à deformi forma (quæ est forma peccati) formosam transferetur in formam ; quæ est forma justitiae , nec per quicquam aliud , quam per Divinam illuminationem in nobis causata , ut optime explicat S. Leo serm. 1. de jejunio decimi mensis his verbis. Diligendo itaque nos Deus ad imaginem suam nos reparat , & ut in nobis formam sue bonitatis inveniat , dat unde ipsi quoque , quod operatur , operemur : accendens scilicet mentium nostrarum lucernas , &c. Ex quibus verbis clare apparet quæ sit Divina illa operatio illuminativa , quam toties memoravi ; & qualiter operetur per eam Deus in nobis formam , vide- licet participatam aut aliter assimila- tam , suæ naturæ , suæ bonitatis , suæ clementiæ , &c. Ergo denique non re- quiritur ad perficiendam in nobis su- pernaturalem naturæ Divinæ participa- tionem , de qua est sermo , imo ad istam perficiendam est omnino inepta entitas illa producta , quam gratis ex- cogitant & vocant gratiam habitualem.

Nec quicquam obstatet veritati ac fir- 212.
mitati præcedentis ratiocinii præventio , ob quam mallet quis vel negare prædic- tum naturæ Divinæ consortium in sola af- fectuum conformitate consistere , vel affir- mare istam conformitatem aut esse illam ipsam gratiæ habitualis entitatem , quam impugnamus , aut certe esse effectum il- lus. Unde argueret inconcussam manere

hujuscemodi entitatem, nec posse absque illa animam naturæ Divinæ consortem fieri, nec istud consortium, unde cæteri omnes supernaturales gratiæ habitualis effectus pendent, idoneè explicari. Vel maximè quia si nihil supernaturale produceretur in anima justificata, unde posset in ea procedere tam sublimis mutatio, quâ verè deificatur.

219. Non certe quicquam obstaret talis preventio : quia cum haud dabiè referri non possit illud, de quo agitur, naturæ Divinæ in anima justificata consortium ad identitatem ejusdem naturæ Divinæ communicatam, alioquin anima justificata verè Deus esset, consequens est ut referri tantum pos sit ad communicatam illius similitudinem : propter quam anima sit equidem Divina prout, Divino quodam modo afficitur ; sed non sit Deus, imo nec ista similiudo est omnimoda, ut satis patet : sed quâ major esse non possit, quia consistit in maxima quadam supernaturali conformitate affectuum Divinorum. Tum verò neque potest conformitas ista affectuum confundi cum entitate illa, quam invocant gratiam habitualem : quia affectus isti sunt utique affectus cognoscitivi, qualium entitas illa est incapax: neque multò minus potest conformitas ista per entitatem illam effici, quia ut evidens est ; entitas quæ nullum habet affectum : nullum quoque potest communicare. Ergo necesse est ut
- 220.

aliunde et per aliam viam communicentur animæ supernaturales isti affectus , scilicet per viam Divinæ , cuiusdam operatio- nis supernaturalis habitualis & illuminati- væ , qualem saepe explicui ; & ad quam sine dubio referebat S. Clemens Alex. pædag. lib. 1. justificationem baptismali- lem in supernaturali mutatione morum consistentem , quum ajebat. Una enim est hæc gratia illuminationis , quod non sint iidem mores , qui erant antequam la- varemur. Vide supra n. 149. Atque ita ad effectus omnes & singulos nostræ justificationis inefficax omnino est en- titas hactenus impugnata , quam falsò præsumunt productam , & gratis vocant gratiam habitualem.

Et ne maneat insolutum id quod tan-^{220.}
dem adjicitur his verbis , si nihil su- pernaturale produceretur de novo in ani- ma , unde posset in ea procedere tam su- blimis mutatio , quæ verè deificatur ? Di- co hanc sublimem mutationem pendere ab alia æquè sublimi , & in hoc posi- tâ , quod anima quæ ante non erat su- pernaturaliter illuminata , supernatura- liter de novo evadat illuminata : atque hæc est supernaturalis mutatio , quæ causat supernaturalem aliam mutationem animæ deificatæ. Potest autem anima supernaturaliter de novo illuminari in- dependenter ab omni entitate produc- ta : nec certè entitatis ullius taliter præ- productæ meminait D. Petrus ubi præ-

rogativas justitiae nostræ refert ad efficaciam scilicet supradictæ supernæ illuminationis. *Vos autem*, inquit, *genus electum*, *regale sacerdotium*, *gens sancta*, *populus acquisitionis*, *ut virtutes annuntietis ejus*, *qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*. Tenebras vocat, sive lumen naturale, quod quantumvis fulgeat tenebrosum est, si cum supernaturali confertur: sive illud ipsum lumen à peccato vitiatum, quod tunc tenebrosum multò est, & pro tenebris meritò sumitur. Eratis ait Apost. ad Ephes. 4. aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Non igitur pro explicanda mutatione animæ deificatæ recurrendum est ad ullam entitatem productam in anima, eidemque insertam; vel maxime quia hæc entitas sic producta & qualitercumque inserta deificare animam, id est, efficere naturæ Divinæ consortem nusquam valeret: ipsa quippe naturæ Divinæ consors non esset ob defectum intellectualitatis, quæ in primis tum ad habendum, tum ad communicandum consortium illud supernaturale requiritur.

Argumentum tertium.

221. **A**rgumentor tertio ex illis locis sacrae scripturæ non paucis, ubi exponitur nostra justificatio per adven-

tum Dei in animam , & ejusdem Dei
mansionem in ea ; ex his autem locis
alibi relatis unicum hic iteratò exscri-
bam , joan. 14. Si quis diligit me , ser-
monem meum servabit , & pater meus di-
liget eum , & ad eum veniemus , & man-
sionem apud eum faciemus , videlicet , ut
eum sanctificemus. Quare cum utrin-
que conveniatur Deum animam sancti-
ficare per adventum suum ad eam , &
mansionem apud eam ; supere& jam
discutiendum an Deus veniat ad animam
& maneat apud eam per interventum
entitatis productæ , quæ sit productiva
nostræ sanctitatis ; vel absque tali in-
terventu per aliquam suam supernatu-
ralem operationem , quæ sit impressiva
supernaturalium effectuum , in quorum
confluxu diximus sanctitatem veram ac
perfectam consistere. Itaque in gratiam
posterioris doctrinæ adversus priorem
sic discutto. Deum venire ad animam
& apud eam manere per interventum
entitatis , de qua agitur , nihil aliud
est juxta Adversarios , quam Deum in
anima producere hujusmodi entitatem ,
cui committat sanctificationem ejusdem
animæ peragendam salvo jure solius sive
cooperationis : aut certè si quid aliud
est , falsum erit sanctitatem nostram es-
se effectum entitatis illius At si ita est
nusquam anima sanctificabitur : quia
sanctificari non potest , nisi per recep-
tioem sanctitatis communicatæ : com-

municare autem non potest entitas illa sanctitatem , quam utique non habet. Neque jam recurri poterit ad cooperationem Divinam , quæ sancta est & communicare sanctitatem potest : quia cooperatio præcise ut cooperatio est , non terminatur nisi ad effectum operationis : quare si talis entitatis operatio non terminatur ad sanctitatem effectam , nec ad illam terminabitur Divina cooperatio : aut si sanctitas nostra est effectus cooperationis solius Diuinæ , quomodo assumi ac proclamari potest pro effectu operationis , quæ verè ad entitatem prædictam attineat ? Ergo denique quando venit Deus ad animam & manet apud eam , utique sanctificandam , nec venit , nec manet per interventum entitatis illius ; sed per interventum suæ cuiusdam solius operationis animam sanctificantis , qualem sæpe explicui.

^{222.} Elucidabitur præterea simul ac roborabitur iste discursus ex hoc quod sicuti venit Deus ad animam sanctificandam & manet apud eandem sanctificatam ; sic anima sanctificanda venit ad Deum , & apud eum manet jam sanctificata , conformiter ad id quod legitur. *Venite ad me omnes qui laboratis , &c. & alibi. Qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo.* Hinc quia nemo hactenus cogitavit interventum alicujus entitatis , per quam anima ad Deum veniat

& apud eum maneat , præter bona ope-
ra & eorum perseverantiam ; ita neque
cogitari debuit ulla entitas per cuius
interventum veniat Deus ad animam &
apud eam maneat præter Divinæ alicu-
jus operationis unius aut multiplicis be-
neficentiam effectricem bonorum hujus-
modi operum , & eorum perseveran-
tiæ ; sive , quod idem est , effectricem af-
fectuum , per quos anima ad bene ope-
randum & ad perseverandum in bonis
operibus & actualiter & habitualiter in-
clinatur . Certe D. Aug. , tract. 75. in
Ioan. non aliter explicat qualiter hinc
Deus ad animam , hinc anima ad Deum
veniat , quam per operationes hinc Dei ,
hinc animæ . Deus Trinitas inquit , Pater ,
Filius & Spiritus sanctus veniunt ad nos ,
dum venimus ad eos , Veniunt subveniendo ,
venimus obediendo : veniunt illuminando ,
venimus intuendo : veniunt implendo , veni-
mus capiendo : &c. Idem autem de mansio-
ne , quod de adventu dicendum est ; præ-
sertim quia mansio non est nisi perseve-
rantia quædam adventus . Vel tandem si
aliud est Deum venire ad animam , &
aliud Deum apud illam manere ; alia
erit entitas per quam veniet , & alia per
quam manebit : & sic non erit unica en-
titas illa , quam falsò vocant gratiam ha-
bitualem , & cui falsius tribuunt esse id ,
cujus interventu venit Deus ad animam ,
& apud eandem manet : quasi vero non
potius impedit veritatem adventus hu-

jus ac mansionis interventus ille entitatis , quæ propter hoc ipsum sola venire , ac sola manere multò convenientius dicetur. Vide supra n. 124. & sequentes , ubi ostenditur qualiter gratia Divinæ habitationis operativæ sit vera gratia habitualis , quæ sanctificat animam.

223. Nec ullatenus minuet vim hujus argumenti , id quod forte respondebitur Theologos advertentes Deum immensitate sua penetrare totam animam & sic non posse per se ad illam venire (neque enim veniret si ante non abesset , quod contrariatur immensitati) coactos fuisse ad cogitandum & assignandum aliquid , per cuius interventum ad illam veniat Nihil autem occurrebat convenientius cogitabile & assignabile , quam entitas gratiæ habitualis sanctificantis. Hinc assertuerunt Deum ad animam sanctificandam venire per interventum entitatis illius , per quam & apud eandem manebit , quia manere nihil aliud est quam venisse , & non abire. Ac rursus quia ob eandem rationem anima , quæ tota penetratur à Deo , non optest ad eum per se venire ; quid obstabit quominus dicatur ad eum venire , ac proinde & apud eum manere per interventum prædictæ ejusdem entitatis ipsam sanctificantis ?

224. Nullatenus , inquam , id minuet vim argumenti ; imo mirum in modum augabit : quia eam Deus non tantum veniat ad animam ut eam sanctificet ; sed etiam , quod

quod frequens est in sacris paginis, ut eam vocet, trahat, excitet, regat, juvet, &c. imo quoque ut eam arguat, terreat, judicet, puniat, &c. idque in utroque ordine & naturæ & gratiæ; hinc valde augebitur numerus entitatum, quas Theologi necessitabuntur cogitare & assignare ad explicandos omnes istos, qui diversissimi generis sunt, adventus Divinos. Quæ vero fabula tot entitatum hæc erit? Tum vero an non æque in promptu sunt & absque fabula ulla tum naturales, tum supernaturales operationes, per quas Deus veniat ad animam prædictis modis omnibus ac multò pluribus, qui enarrari & enumerari nunquam possent, movendam? Aut si potest Deus, quod utique potest, venire ad animam creandam, conservandam, illuminandam, regendam, &c. in ordine naturæ absq; interventu entitatis ullius productæ, id æquè potest in ordine gratiæ: & hoc est animam sanctificare, ut ostensum est. Deinde verum equidem est non posse Deum propter immensitatem, quâ animam penetrat, venire ad animam localiter: nam quis tam ignarus, ut id non advertat? Sed quis etiam non advertit, sicuti legitur Deum ad animam venire, id de adventu Divino operativo posse ac debere intelligi? Sicuti de adventu animæ pariter operativo potest ac debet intelligi, sicuti legitur animam venire ad Deum. Nec aliter id utrumque intellectus D. Aug ut constat ex verbis mox

relatis, Deus Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus veniunt ad nos: dum venimus ad eos: veniunt subveniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo, &c.

Argumentum quartum.

125. **A**R G U M E N T U M hoc quartum de-
romo ex verbis illis: 1. Joan. 3. *Vide-*
te qualem charitatem dedit nobis Pater,
ut Filii Dei nominemur & sumus. Ubi quia
affetus charitatis cæteris omnibus super-
naturalibus infusis affectibus virtuosis
longè præcellit, illum meritò designa-
vit D. Joannes tanquam potiorem, per
quem Filii Dei nominamur & sumus.
Quare & specialius adjicit ibidem cap. 4.
Omnis qui diligit, ex Deo natus est. Apud
Theologos tamen commune est fieri nos
Dei filios per gratiam habitualem, quam
multi quidē cum charitate confundunt, sed
multò plures discernunt. Et verè quidem
ut puto, quia satius est, ut attendatur
charitas tanquam specialis virtus, at præ-
tantissima cæterarum omnium, quæ gra-
tiam habitualem comitantur; sive quæ
continentur sub universalí supernaturali
ad omne bonum affectu, in quo consis-
tit gratia habitualis, videlicet spectata
ex parte animæ, quæ sic gratificatur, ut
sepius dixi. Itaque instituti mei jam est
estendere qualiter per affectum istum

supernaturalem ad omne bonum ac principaliter per affectum charitatis supernaturalem , qui inter cæteros sub sanctitate habituali contentos eminet , affilietur anima Deo ; nullatenus verò per entitatem ullam productam sibiique insertam , qualitercunque nomineur sive gratia , sive charitas : nam de nomine difficultas non instituitur ; sed de re . Id autem sic ostendo . Tum adductà paritate filiationis ejus , per quam anima est naturaliter Dei filia , non propter entitatem ullam extraneam sibi insertam : sed propter intrinsecam suam intellectualitatem affectam ad omne bonum ordinis naturalis . Tum & adductà alià paritate filiationis supernaturali Divinæ , de qua agitur , prorsùs oppositæ , secundùm quam peccatores sunt & nominantur filii diaboli sicuti legitur , 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo , peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet , & non potest peccare quoniam ex Deo natus est : in hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli , &c. & alibi . Vos ex patre diabolo estis , aiebat Christus , & desideria Patris vestri vultis facere . At num quis putabit filiationem hanc diabolicam importare entitatem ullam in anima à diabolo productam ac insitam ? Absit : & non potius ac verius cogitabit eam importare nihil nisi pravos ad peccandum affectus à diabolo vel inspiratos , vel utcunque aliter im-*

pressos , secundum quos anima peccatrix vult patris sui diaboli desideria facere ? Hinc concludo nec animam esse diaboli filiam , quæ est pessima & deploranda filatio , nisi per pravos ac vitiosos affectus : nec eandem animam esse Dei filiam , quæ est optanda ac optima filatio , nisi per affectus probos & virtuosos. Unde autem pravi illi affectus , nisi ex pravis cogitationibus , quas diabolus inspirat , subordinuntur ? Quare nec isti probi affectus , nisi in probis cogitationibus , quas Deus suggerit , radicantur , omninoque pendent ab illuminatione Divina habituali & supernaturali impressiva illorum affectuum , ut sèpe explicui. Unde iterum concludo neque gratiam habitualem ex parte Dei spectatam , esse quoad physicam suam entitatem quid aliud ab illa illuminatione ; neque eandem ex parte animæ sic spectatam esse quid aliud ab effectu illuminationis illius : sive quod idem est , ab universalis ad omne bonum affectu toties memorato , in quo principaliter eminet supradictus Charitatis affectus , cui D. Joannes tribuit , ut per eum filii Dei nominemur & simus.

226. Addo mores seu affectus , quibus quisque instruitur , ac per eos ad hæc aut illa opera inclinatur , vocari solere uniuscujusque spiritum : hinc alius est spiritus bonus , alius nequam : alius veritatis , alius erroris : alius pacis , alius dissidii , &c. Spiritus autem Divinus su-

pernaturalis is est spiritus, quo qui aguntur, ii sunt filii Dei; quia nimis is est Spiritus, per quem ad omne bonum supernaturale afficiuntur; ut è contrà ii sunt filii diaboli, qui aguntur spiritu diabolico, ac per illum afficiuntur ad omne malum. Unde sequitur filiationem Divinam supernaturalem, de qua agitur, non esse referendam nisi ad mores seu affectus, quos animæ Deus imprimit, quando prævenit eam supernaturali suâ illuminatione, quæ per se solam est talium affectuum impressiva; idque independenter ab omni entitate producta cogitabili. Nam hæc entitas tum omnino differret ab hujusmodi affectibus, tum nec illos posset conferre, quia consistunt in passionibus intellectualibus, ad quas terminari non potest actio entitatis, in qua intellectualitatis nihil est; sicut revera nihil est intellectualitatis in entitate, quam vulgo vocant gratiam habitualem. Id, inquam, sequitur à pari, quatenus filiatione diabolica nec referri solet nisi ad pravos mores seu affectus, qui ex illuminatione aut potius obtenebratione diabolica producent: nec referri ad ullam entitatem productam potest, quæ pravos illos mores seu affectus producat; quia similiter illa intellectualitatis nihil haberet; ac proinde nec afficere intellectualiter posset animam pro ipsâ, ut accidit fieri, per impressiones pravorum affectuum corruptenda.

227. Ad hæc referri potest illud Apostoli
3. ad Cor. 4. *Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui*: quo pacto enim,
aut quâ arte gignebat ille Christianos,
nisi quatenus prædicabat, inspirabat, sua-
debat, imprimebat *ut ut poterat*, mores
Christi? Dixi *ut ut poterat*, quia per assi-
duam licet & efficacem promulgationem
Evangelii nonnisi naturaliter illumina-
bat fideles, illuminandos deinceps à Deo
supernaturaliter: ille plantabat, Apollo
rigabat, Deus autem incrementum da-
bat, ejus videlicet supernaturalis intimæ
illuminationis, quæ perficit & complet
affiliationem Divinam. Sic itaque filia-
tio supernaturalis, de qua agitur, non
per entitatem ullam productam; sed per
improductam illuminationem Divinam &
Christi morum, qui simul Dei mores
sunt, impressivam efficitur. Iste autem
sunt mores seu affectus, per quos anima
supernaturaliter ad omne bonum propen-
det, ab omne bonum fidei, ad omne bo-
num spei, ad omne bonum charitatis,
ad omne bonum humilitatis, ad omne
bonum patientiæ, &c. Atque hæc est ve-
ra sanctitas filiorum Dei. Audiatur S.
Athanasius orat. 3. in Arianos. *Aliiter
enim nunquam efficerentur filii Dei, cum natu-
râ res creatiæ sint, nisi ejus, qui naturâ
filius est, spiritum susciperent, id est mores
ad omne supernaturale bonum proclives.*
228. Neque audiendus esset qui negaret va-
lere posteriorem adductam paritatem si-

filiationis diabolicae comparatae ex adverso cum Divina quoad id , quod est importare aut non importare entitatem productam , quæ sit uariusque filiationis pariter productiva : quia videlicet filiatio diabolica non est nisi filiatio quædam moralis seu imputata , aut etiam mere extrinseca . At filiatio Divina supernaturalis , de qua est sermo , est filiatio vera , physica & intrinseca : & ideo non valet paritas . Ni si præterea quod si adeò opus est protuenda entitate , per quam justi affiliantur Deo , admittere ex adverso entitatem aliam , & animæ pariter insitam , per quam peccatores affilientur diabolo , nihil est quod vetet istam admittere : imo admittenda videtur propter parabolam , quæ legitur matthæi 13. sic expressam . Simile factum est regnum cœlorum homini , qui seminavit bonum semen in agro suo ; cum autem dormirent homines venit inimicus ejus & superseminavit zizania in medio trici . Quam parabolam Christus ipse paulò post dignatur sic explanare . Qui seminat bonum semen est filius hominis : Ager autem est mundus : bonum vero semen iij sunt filii regni : Zizania autem filii sunt nequam : inimicus autem qui seminavit ea , est diabolus . Ubi advertis esse & bonum semen , quod in anima seminat Christus , sive Deus per Christum , videlicet semen sanctitatis : & malum semen , quod in eadem anima seminat diabolus , videlicet semen iniquitatis . Unde sicut per illud , quod Dei semen est

& à Deo productum , sanctificatur anima & affiliatur illi , sicut legitur 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo , peccatum non facit , quoniam semen ipsius in eo manet ; sic per istud alterum malum semen à diabolo seminatum & productum depravabitur anima & illi affiliabitur : sic que aderit utrinque entitas producta , & productiva filiationis hinc Divinæ , hinc diabolicæ.*

229. Non , inquam , audiendus esset qui sic responderet : quatenus filiatio diabolica est equidem moralis , quia importat mores vitiatos : verum isti mores tam physici sunt , tamque intimi in anima vitiata , quam mores sancti in anima sanctificata . Et sic pariter intima est utraque filiatio hinc Dei , hinc diaboli : quare vel neutra , vel utraque spectata ex hoc præcisè capite , quod est esse veram , physicam , intimam , importabit entitatem præproductam ac sui productivam . Quod autem ex alio capite ait respondens non repugnare entitatem productam ac productivam filiationis diabolicæ propter eam , quam citat , parabolam , ubi fit mentio boni seminis , à quo sanctitas prodit , & mali seminis , à quo prodit iniquitas , est nisi fallor omnino absolum , nec speciem habet nisi effugii omnino periculosis . Tum quia absit ut cogitemus diabolum perinde ac Deum illabi animæ & inhabitare illam intime , prout opus foret

ad producendam & implantandam in illa entiratem , de qua agitur. Tum quia ex interpretatione ejusdem Christi , ut refertur lucæ 8. semen , quod seminat Deus in anima , est verbum Dei deinde venit diabolus & tollit verbum de corde eorum , ne credentes salvi fiant. Tollit , inquam , verbum Dei ut introducat verbum suum ; aut , quod idem est , amovet de corde eorum cogitationes Divinas ut inducat suas : amovet cogitationes fidei , ut inducat cogitationes infidelitatis : amovet cogitationes spei , ut inducat cogitationes desperationis : amovet cogitationes amoris & pacis , ut inducat cogitationes odii & dissensionis ; &c. Sicque manet intactum robur ratiocinii hactenus stabiliti.

Argumentum quintum.

Argumenti hujus vis eructur ex 230. speciali ac distinctivo gratiæ Divine habitualis officio , quod est reddere animam Deo gratam habitualiter ; ac proinde esse id per quod anima gratificatur habitualiter Deo , & cohærenter ad id quod legitur ad Ephes. c. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis sue in laudem gloriae gratiæ sue , in qua gratifica-*

vit nos in dilectō filio suo. Quare si ostensum fuerit entitatem illam, quam vocant gratiam habitualem, non esse id per quod anima fiat Deo grata, aut etiam possit fieri; consequens erit veram gratiam habitualem differre ab illa eadem entitate hactenus impugnata: ut ex adverso constabit veram gratiam habitualem consistere juxta doctrinam hactenus stabilitam in supernaturali quodam affectu habituali ad omne bonum impresso per operationem quamdam Divinam supernaturalem habitualem, si ostenditur animam per istum affectum vere & proprie esse ac redi Deo habitualiter gratam. Sic itaque discurro. Id per quod anima est vere grata Deo est id, propter quod Deus vere sibi in illa complacet: & hæc quidem est solita sacrae scripturæ phrasis, unde legitur Matth. 17. *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Atqui propter hujusmodi entitatem, quam vocant gratiam habitualem, quamvis ex hypothesi in anima divinitus productam & insitam, neque sibi vere complaceret, neque complacere posset Deus in anima. Et ratio, ut equidem puto, evidens hæc est: quia Deus non potest sibi verè complacere in anima propter aliquid, quod nihil est animæ, sed est totum extraneum & alienum ab illa: ad eundem modum quo inter nos non potest amicus complacere sibi verè in amico prop.

ter solas vestes amici , aut propter solas illius divitias , aut honores , & similia , quæ fuerint illi extranea & aliena. Sed si in eo sibi complacet , eâ videlicet , quæ est vera amicalis , complacentiâ , id provenit ex hoc quod advertat & experiatur in illo affectum mutuum benevolentiae , reverentiaz , obsequii , &c. Iste autem affectus mutuus est verè aliquid amici , intimum & inhærens , & nullatenus extraneum aut alienum. At entitas , de qua agitur , esset omnino extranea & aliena ab anima , cui infereretur , & esset revera nihilum quoddam illius. Ergo , quod erat concludendum , anima per hujusmodi entitatem non sit , aut etiam potest verè fieri Deo grata.

Neque ab hac consequentia resilient^{237.} ij præsertim doctores scholastici , qui contendunt nullam esse absolutam repugnantiam in hoc quod Deus entitatem , de qua agitur , conservet in anima lethaller vitiata : quia enim anima sic vitiata non potest esse Deo grata , saltem in hoc casu non esset Deo grata per hujusmodi entitatem. Quod autem verificatur in casu isto de entitate illa , cogita verificari pariter in omni casu ; quia quòd illa entitas inhæreat aut non inhæreat animæ , id se habet extraneè ad omnem affectum animæ seu bonum seu malum. Unde sit ut sicut anima male affecta displiceret Deo , quamvis ex hypothesi habeat entitatem illam sibi inhærentem ; ita quamvis il-

lā careat , nihilominus placebit Deo , dummodò bene affecta fuerit : neque enim potest non esse Deo gratus , bonus animæ affectus ; & gratus quidem supernaturaliter habitualiter , si fuerit , ut supponitur , bonus in ordine supernaturali habituali propter habitualem supernaturalem divinam operationem sui impressivam.

232. Multòque magis roborabitur vis argumenti , si attenditur animam gratificari habitualiter Deo per gratiam habitualem ad eundem modum , quo gratificatur eidem Deo actualiter per gratiam actualem. At animam gratificari actualiter Deo , quid aliud est in veritate rei physicā , quam actualiter esse Deo gratus affectum actualem animæ correspondentem actuali Divinæ illuminationi impressivæ illius ? Unde à pari animam esse habitualiter Deo gratam nihil aliud erit quam esse Deo gratum ejusdem animæ affectum habitualem correspondentem habituali illuminationi Divinæ affectus prædicti impressivæ. Affectus autem sive actualis sive habitualis est revera aliquid animæ : imo non est nisi anima taliter aut taliter à Deo supernaturaliter præmovente , seu præilluminante ipsam affecta : & ideo clare concipitur id , per quod anima gratificatur Deo , non esse rem alienam ab anima ; sed esse quendam affectum ab illa minimè alienum , videlicet vel actualem vel habitualem ,

bitualem, ut dictum est, corresponden-
tem actuali vel habituali præmotioni,
seu præilluminationi cuidam Divinæ.
Nec arduum quoque est ut intelligatur
animam esse Deo gratam per hujusmodi
affectus, quia *homo videt ea quæ parent*,
Deus autem intuetur cor: affectus autem,
de quibus agitur, seu actuales seu habi-
tuales pertinent ad cor, id est ad libe-
ram animæ voluntatem, quæ acceptat
illos & exerceat, & in illis sibi compla-
cet, quia à Deo sunt; scut in illis sibi
complacet Deus, quia sunt animæ ac-
ceptantis illos & exercentis. Præterea
verò prædictorum affectuum sanctitas
quatenus nostra est, placet Deo & nos
ipsi gratificat. At entitas, quam Deus
in anima poneret, non esset nostra, quia
sine ullo concursu nostro & producere-
tur & conservaretur in anima: quod uti-
que dici non potest de affectibus nostris
supernaturalibus gratuitis, quia revera-
licet fiant in nobis sine nobis, non con-
servantur tamen in nobis sine nobis &
acceptantibus & exercentibus, atque ita
evadunt nostri; sicque per eos place-
mus Deo, & ei gratificamur. Ergo deni-
que ad exponendum speciale illud ac di-
stinctivum gratiæ habitualis officium,
quod est animam gratificare Deo, iniuti-
liter omnino ac superflue adducitur enti-
tas hactenus impugnata, quam falsò vo-
cant gratiam habitualem.

Neque rationciniū hujus vim effugeret, 233

qui responderet nihil tam nostrum esse, quam id quod nobis datur à Deo. Hinc si Deus produceret in anima, eidemque insereret entitatem, de qua agitur, nunc quid hæc entitas pertineret ad animam, ac proinde esset entitas animæ? Ergo ex hypothesi, quam Theologi vulgo admittunt, hujuscemodi entitatis in anima productæ nihil obstat quominus gratificetur anima Deo, si videlicet nihil aliud obstat, nisi quod oppositum fuit, nempe quod hæc entitas non esset entitas animæ, seu computanda inter ea bona, quæ sunt animæ Aliunde vero, quia si quid in actibus & affectibus nostris bonum est, talis utique bonitas ab entitate ista proficitur, hinc sequitur illos non posse esse Deo gratos nisi propter entitatem istam; ac proinde animam non fieri Deo gratam propter prædictos, sive actus, sive affectus saltem primi ac principali-
ter; sed per istam entitatem, à qua illi premium suum ac decus omne acci-
piunt.

Non inquam præmissi ratiocinii vim
 234. effugeret, qui sic responderet, quia sic non probatur, nisi quod entitas illa com-
 putari posset inter bona extēna ani-
 mæ, quatenus divinitus daretur animæ
 ad modum, quo alicui dantur pecuniae,
 vestes, &c. Neque obstat quod entitas
 illa daretur animæ intra animam ipsam;
 quia non propter eam pertineret ad affec-
 tus seu habituales seu actuales intellec-

tuales ejusdem animæ, & sic non pertineret ad bona illius interna, quæ sunt vera ac propria illius bona. Quod autem subjungitur, si quid boni in affectibus nostris est, id ex entitate illa proficiunt, ideoque illos non esse Deo nisi propter illam acceptos & gratos, id merum præjudicium est, ac valde apertum, quatenus affectus nostri omnes sunt intellectuales, nec potest quicquam intellectualitatis ex entitate non intellectuali in illos prodire. Unde quidquid in affectibus nostris bonum est, id non ab entitate illa, quæ non est nisi falsa gratia, procedit; sed à vera gratia quæ prout est actualis aut habitualis consistit in illuminatione actuali vel habituali quadam Divina impressiva talium affectuum, quos importat vera sanctitas, ac propter quos anima Deo grata est, sicut & propter illos sancta est.

Argumentum sext. & ult.

AR G U M E N T O R denique sextò sub² 35.
hac forma. Sanctificatio, quæ gratiæ habituali tanquam ipsius effectici tribuitur, est mutatio quædam adveniens animæ, videlicet mutatio intellectualis & supernaturalis: intellectualis quidem, quia enī intellectuali non convenit, nisi intellectualiter mutari: ac deinde supernaturalis, quia omnes naturæ vires ex-

cedit illa mutatio , neque per solitum nullum concursum Divinum , sed per insolitum sive supernaturalem perficitur , ut apud omnes est in confessu . At entitas illa , quam Theologi Scholastici vocant gratiam habitualem , non potest esse causa effectrix prædictæ mutationis , sive quatenus intellectualis , sive quatenus supernaturalis . Nam talis mutatio quatenus intellectualis , præ-exigit in mutante actionem intellectuandi aut , quod idem est , illuminandi : quatenus autem supernaturalis præ-exigit actionem non qualemcunque intellectuandi aut illuminandi ; sed talem , quæ vim sive splendorem & efficaciam omnis intellectuationis , aut illuminationis naturalis excedat . Quomodo autem entitati , de qua agitur , omnis intellectualitatis experti competere potest hujuscemodi quædam actio ? Igitur entitas illa non est vera gratia habitualis : quia hæc vera gratia habet esse veram causam effectricem nostræ sanctificationis . Unde consequens est ex prædictis recurrentum esse pro assignanda vera causa effectrice sanctificationis nostræ ad operationem quamdam Divinam habitualem & supernaturalem . Quo pacto hæc operatio Divina ex hoc quod est illuminativa , terminatur ad illuminacionem animæ passivam , & ecce mutationem animæ intellectualis . Tum ex hoc quod est supernaturalis , terminatur ad

illuminationem ejusdem animæ passivam supernaturalem : & ecce mutationem intellectualem supernaturalem , quæ per sanctificationem nostram importatur. Sicut tandem quia hæc sanctificatio nostra est permanens aut, quod idem est, habitualis ; ideo dixi operationem Divinam hujus nostræ sanctificationis effectricem , esse pariter habitualem : & ideo rursus habitualis est , quia vim habet multiplicis operationis, quæ alijs requiri videtur ad habitum illum sanctitatis in anima efficiendum. Sed non eget Deus multiplici operatione ad infusionem habituum , sicut nos indigemus illâ ad acquisitionem eorum.

236.

Præterea quid est sanctificatio , de qua agitur , nisi sanctificatio passiva ? quæ proinde referri non potest, nisi ad agens, cuius actio sit sanctificativa. At nullatenus potest intelligi qualiter actio entitatis illius, quam putant produci in anima à Deo & vocant gratiam habitualem , sit sanctificativa. E' contrà autem statim intelligi qualiter sanctificare animam possit operatio Divina, qualem explicui. Quare hoc unum videretur sufficere ad prærendam priori sententiam posteriorem , quamvis nulla alia ratio id suaderet. Sed quantum abest ut nulla alia ratio id suadeat , imo convincat ? quod relinquo lectori conjiciendum ex argumentis, quibus toto opere adversus productionem prædictæ entitatis , & entitatum innu-

Cec

merabilium productiones alias , quas illa secum inutiliter traheret , dimicatum est.

237. Neque jam superest nisi ut solvam id quod forte quis postremo ratiocinio isti opponeret , videlicet sanctificationem , cuius gratia habitualis est effectrix , esse realem , intrinsecam & manentem . Hujusmodi autem effectus exigit causam realem , intrinsecam & manentem , quallem facile advertere est in entitate illa producta , quæ vulgo vocatur gratia habitualis ; ægrè verò in operatione Divina , quallem explicui : nam hæc saltem non manet ; sicut nullius operationis proprium est manere , sed transire . Nisi etiam quod certum est Deum in ordine naturali rerum posse multa per se ipsum præstare , quæ nihilominus non præstat , nisi per causas secundas ejusdem ordinis præparando vires & operationes eorum ad productiones variorum effectuum . Unde quamvis in ordine supernaturali rerum possit per se ipsum ac sine subficio ullius causæ secundæ ejusdem ordinis sanctificare animam , adhibebit nihilominus aliquam ; & hæc erit entitas illa , seu qualitas habitualis , quam omnes ferè Theologi non opinantur modò , sed credunt tanquam de fide ac credendum esse affirmant , maxime verò propter authoritatem concilii Tridentini alibi relatam , produci à Deo in anima , & eidem inhætere ad effectum nostræ justificationis . Hinc tali

entitati temerè contradicitur, ac in primis quia nemo antehac ausus est tam aperte adversùs illam congregari; ne congregari videretur adversus gratiam, quæ per entitatem illam constitui unanimiter reputatur apud Scholasticos.

Verum facillime hoc totum solvitur: nam quis non videt actionem Divinam, qualem explicui, esse & multò magis realem, & multò magis intrinsecam animæ, quam realis & intrinseca esse illi possit actio entitatis impugnata: hæc quippe entitas, si sanctificaret animam, id non aliâ viâ, quam per actionem aliquam suam præstaret. At hæc actio non esset minus transiens quam Divina. Imo esset magis transiens, ut ita loquar, sicut & minus realis, minus intrinseca. Præterquamquod apertissime falsum est non posse effectum manentem causari per actionem transiunt: nam anima quæ primò creatur, est effectus manens; & nihilominus actio, quæ est primò creativa, est transiens: sic igitur anima quæ secundò creatur, id est sanctificatur (sanctificatio enim est secunda quædam creatio) erit pariter effectus manens, quamvis pendeat ab actione secundò creativa, quæ est transiens. Verumtamen non maneret iste effectus si-
cuit nec ille absque concursu Divino conservativo; sed de isto concursu non est difficultas.

Ac deinde quod adjicitur posse Deum: 39.

adhibere ac verisimiliter adhibere & ordinare causam aliquam secundam supernaturalem ad effectum justificationis nostræ supernaturalis , sicut causas secundas ordinis naturalis adhibet & ordinat ad effectus naturales , quos perinde posset per se ipsum & absque subsidio illarum præstare , nullius momenti est : non solum quia repugnat dari causas secundas supernaturales , quatenus hoc ipso quod sunt secundæ , sunt creatæ ; atque ita non haberent vim operativam supernaturalem , quæ excedit vim omnem creatam : sed præsertim quia si in ordine supernaturali darentur causæ secundæ perinde ac in ordine naturali , essent in utroque pariter proportionatæ suis effectibus. Unde sicut in ordine naturali ordinat Deus causam locomotivam ad movendum localiter , uti fluxum aquæ ad delationem navigii ; & intellectivam ad movendum intellectualiter , uti peritiam magistri ad eruditionem discipuli ; ita in ordine supernaturali ad animam supernaturaliter intellexuandam , ordinaret causam , quæ esset supernaturaliter intellectiva. At entitatis , de qua agitur , & quam falsò vocant gratiam habitualem , intellectualitas nulla est. Nihilominus si utitur Deus causis quibusdam secundis ad efficientiam sanctitatis nostræ , ecce illas quas adhibet , seriem prophetiarum , promulgationem evangelii , concionatorum sollicitudi-

nem, confessariorum assiduitatem, sacramentorum copiam, præceptorum, consiliorum, exemplorum, promissorum, comminationum, &c. iterationem. Sed istæ omnes causæ non sunt nisi præparatoria ad sanctitatem, quam Deus per se unum ac solum perficit; ita quod sicut solus animam primò creat, ita solus creat secundò, quod est, sanctificat.

Tandem non erit superfluum, si præ-^{240.}
ter dicta n. 200. addam Theologos, qui ex Concilio Tridentino colligunt entitatem, quam impugno, esse de fide id colligere, pace dixerim, sine causa: nec desunt pluri qui mecum id ipsum sentiant, ex quibus unum adducam Haber-
tum Episcopum & Comitem Vabrensem
Doctorem Sorbonicum, qui in tractandis
potioribus materiis gratiæ, iisdemque ad
mentem sanctorum Patrum utriusque lin-
guæ explanandis mirè excelluit. Is ita-
que lib. 3. sub finem capituli primi, ubi
ex professo disquirit sit ne propter Con-
cilium Tridentinum de fide entitas, de
qua agitur, sic ait. *Judicet lector quid ex
bis omnibus, quæ ex synodo Tridentina
Collegimus, ipse possit colligere.* Nobis pro-
fecto veritatem hanc tanquam principium
quoddam commune, præfixam fuisse ac ve-
luti presuppositam à Concilio verisimilius
est, quam ex professore discussam & pertrac-
tam, instar articuli definitam. Quod
idem est ac si dixisset opinionem, quæ
pro entitate illa militat, non fuisse ex-

professo discussam & pertractatam , quia non pertinebat ad rem fidei , sed ad **controversiam Scholæ** ; non obstante quod esset communis ac præsupposta pro verâ apud Patres synodicos , qui de more Aristotelico Theologico **ex qualitatibus materialibus** assurgebant ad immateriales excogitandas . Quapropter impugnare hujusmodi entitatem nihil aliud est , quam impugnare opinionem scholasticam , quæ tunc prævalebat & adhuc prævalet ; nempe si agitur de numerandis suffragiis , secùs si agitur de ratiociniis ponderandis . Quod autem nemo hactenus tam aperte adversus entitatem illam congressus sit , id nihil obstat ponderi ratiociniorum , quæ attuli : ejusdem enim ponderis ratiocinia sunt , sive quæ hodie primum proferuntur , sive quæ à sèculo prolata fuerint . De cætero autem etsi contradicant entitati , de qua agitur , insanum est si fingitur contradici per ea gratiæ , cuius è contra per eadem inquiritur ac stabilitur vera quidditas . Vel similiter esset fingendum impugnari Divinam omnipotentiam , aut Divinam immensitatem , quod absit , quando de hujus aut illius vero constitutivo moventur scholasticæ ad , controversiæ . Et hæc quidem hactenus eph . de vera gratia habituali quoad ejus physi . sica entitatem in tandem gloriæ ejusdem veræ gratiæ dicta sint .

S U M M A R I U M
totius questionis.

PROPOSITUM totâ hac quæstione^{341.} fuit & probatum veram gratiam habitualem, per quam justificamur, non consistere in entitate ulla qualitativa verè productâ de genere eorum, quas Aristotelici dicunt ad prædicamentum qualitatis pertinere, & putant esse à suis subjectis, ex quibus aut in quibus producuntur, distinctas. Ad id autem probandum diximus attendendam esse gratiam istam habitualem ex parte Dei conferentis, id est gratificantis, & ex parte animæ recipientis, id est gratificatæ. Sic autem attendentes deprehendimus gratiam istam ex parte Dei conferentis non posse consistere nisi in aliqua Divina operatione supernaturali habituali impressiva habitus illius supernaturalis, quæ vocamus sanctitatem habitualem, & ad quem certum est terminari omnē efficaciam gratiæ veræ habitualis. Ac tum similiter deprehendimus eandem gratiam habitualem ex parte animæ recipientis non consistere, nisi in ea impressione supernaturali habituali recepta, quæ est ipsissima sanctitas habitualis, per quam videlicet anima habitualiter inclinatur ad sancte vivendum, id est ad sancte credendum quidquid est fidei, ad sancte sperandum quid-

quid est spei , ad sancte diligendum quidquid est charitatis , ad sancte sustinendum quidquid est fortitudinis , &c. Unde intulimus nullum pro anima habitualiter sanctificanda occurrere interventum qualitatis ullius habitualis productæ necessarium , quem alias probatum est fore superfluum & omnino insufficientem : ac non minus quam superfluus & omnino insufficient foret cuiusvis alterius qualitatis transeuntis productæ occursus pro eadem anima transeunter seu actualiter vocanda , trahenda , inclinanda ad actus fidei , spei , charitatis , fortitudinis , &c. eliciendos. Ita quod si potest quidquid ad gratiam actualē spectat independenter ab entitate ulla supernaturali actuali producta explicari , ut revera potest ex demonstratis in quæstione præcedente , explicari perinde possit ac debeat quidquid ad gratiam habitualē pertinet in adductā quacunque entitate habituali productā. Hinc vides qualiter quantumque sibi ex toto cohæreat hæc doctrina adversus entitates accidentales , quæ ex philosophia prædicamentali Aristotelica parum philosophicè transferuntur in Theologiam pro expoundendis mysteriis ac ministeriis gratiæ tum actualis , tum & habitualis.

^{242.} Exinde quia anima moveri nisi intellectu non potest , hinc ostensum est motionem illius supernaturalem passivam , per quam gratificatur , esse intellectuatio-

nem sive illuminationem passivam , vide-
licet habitualem , si agitur de gratia ha-
bituali ; perinde ac actualem , quando
agitur de gratia actuali : ideoque actione-
nem Divinam , quæ ad talen passionem
terminatur , esse actionem intellectuati-
vam , id est illuminativam , nempe aut
habituellem aut actualem , prout passio ad
quam terminatur , est aut habitualis aut
actualis. Unde quia talis entitatis , quam
putant produci & vocant gratiam habi-
tualem , nulla est excogitabilis actio , quæ
sit intellectuativa , propterea quod omnis
intellectualitatis sit expers illa entitas ,
nunquid fuit repudianda ? Vel maximè
quia præter improducibilitatem illius sa-
tis aliunde ostensam , nullus est gratiæ
Divinæ habitualis effectus assignabilis ,
qui illicè non exponatur maxima cum
evidentia per solam operationem Divi-
nam habitualem , de qua dictum est , &
passionem pariter habitualem illi corre-
spondentem ex parte animæ . Quo modo
valde elucidatus in primis fuit effectus is
primarius , universalis ac præcipuus , qui
cæteros omnes radicat & consistit in hoc ,
quod est animam esse habitualiter san-
ctam : hinc enim habet esse denuò crea-
tam ad imaginem & similitudinem Dei ,
& eidem Deo affiliatam , & ejusdem Dei
hæredem , & ornatam , nitentem , dona-
tam virtutibus universis , quas vera san-
ctitas mirum in modum complectitur.

Denique ne nova videretur aut non sa- 243.

tis probata doctrina , quæ hunc in modum gratiam habitualem Divinam explicat , passim adducta sunt ex sanctis paginae , & Conciliis , et Patribus loca plurima , quæ satis commonstrant eam nec novam esse , nec improbatam : imo antiquiorem esse ac probabilorem oppositam ; ut præterea nihil dicam de ratiociniis multis Philosophico - Theologicis , quæ si satis attenduntur , satis , ut opinor , convincent alienam omnino esse à conceptu veræ gratiæ habitualis entitatem toties memoratam . Cumque de cætero si quid entitati illi favere nihilominus potest , id bona fide quoad suam vim omnem oppositionum fuerit & solutum , quid superest nisi ut dicator sola esse præjudicia Philosophica Aristotelica in sacrarium Theologicum translata , quæ obstant quominius in eam , quam toto hoc opere laudavi , sententiam inclinetur . Quod si ita est , explevi ego partes meas : Lector jam suas expletat & dijudicet , an ipse sim qui fallor , aut ipse sit quem hactenus præventiones suæ fecellerint . Et sic quidem de gratia tum actuali , tum habituali quoad utriusque physicam quidditatem satis actum sit .





APPENDIX.

*INSTITUTA AD
obiter ostendendum quid
rei Physicæ sint virtutes
infusæ, gratiæ gratis da-
tæ, dona Spiritus Sancti,
Beatitudines, item fructus
spiritus Sancti, ac tan-
dem Charakteres sacra-
mentales.*

QUE M A D M O D U M Aristotelici 244
passim admittunt accidentia om-
nis generis materialia, eaque pu-
tant debere necessariò præproduci ac
concurrere ad effectus omnis generis
materiales perficiendos, uti quantita-
tes varias, qualitates, relationes, ubi-
cationes, &c. pro corporibus variè ex-
tendendis, qualificandis, referendis, ubi-
candis, &c. sic etiam universos spiri-
tuales effectus referunt ad entitates toti-
dem accidentales spirituales, tanquam ad

eorum causas effectrices & præproductas; hinc consimiliter multiplicant accidentia doctrinæ, virtutis, pulchritudinis, immortalitatis, &c. ad constituendam animam doctam, virtuosam, pulchram, immortalem, &c. Ac tandem ex ordine naturali ad supernaturalem transferunt accidentalites physicas non absimiles, nullumque supernaturalis ordinis effectum agnoscunt, quem non illicè tribuant accidenti cuidam supernaturali in hunc finem Divinitus præproducto, & animæ inhaesivo. Hujusmodi sunt universæ illæ, quas in anima supernaturaliter sanctificanda aut sanctificata produci opinantur, entitates accidentales formales Fidei, Spei, Charitatis, Prudentiæ, Justitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, omnis tandem gratiæ, omnis intelligentiæ ac virtutis. Tum vero licet argumenta, quibus hucusque dimicatum fuit ad abolendas accidentalites, quæ solent falso confundi cum gratiis hinc habitualibus, hinc actualibus, uno individuoque istud feriant supernaturalia accidentia, quæ gratias illas comitari reputarentur, cùjusmodi sunt virtutes infusæ, dona Spiritus Sancti, Beatitudines, &c. Superflua tamen forsitan non videbitur appendix ista, ex quâ potius confido non parum lucis roborisque redundantum in elucidationem & confirmationem doctrinæ hactenùs propugnatæ.

DE VIRTUTIBUS
supernaturalibus
infusis.

EXTRA omnem controversiam est^{245.} Virtutes Theologicas, Fidem, Spem & Charitatem infundi simul cum gratia, quæ sanctificat animam; idque propter decisionem Synodi Tridentinæ expressam his verbis. *In justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem & Charitatem.* Hanc verò decisionem extendunt Theologi, & meritò, ad virtutes morales, si minus ad omnes, saltem ad eminentiores, quibus sanctitas, quæ per gratiam habitualem obtinetur, si vacua esset, non esset perfecta: nam sicuti non esset perfecte sanctus is, cui deesset aut Fides, aut Spes aut Charitas; ita neque is cui deesset Prudentia, aut Justitia, aut Fortitudo, aut Temperantia, aut humilitas, aut mansuetudo, &c. ejusdem videlicet ordinis, cuius est sanctitas per gratiam habitualem obtenta. At hæc sanctitas est ordinis supernaturalis: quare & ejusdem ordinis sunt virtutes, quæ illam perficiunt aut exornant. *Præter-*

quamquod sicut anima, quæ naturali tantum vitâ vivit, habet naturales quasdam habitudines inclinantes ipsam ad ea peragenda, quæ hujus vitæ sunt; & istæ quidem sunt virtutes naturales ipsius: sic ubi ad statum vitæ supernaturalis elevatur, recipit simul cum ista vita habitudines supernaturales inclinantes ipsam ad ea peragenda, quæ vitæ supernaturalis sunt, nempe ad exercendos actus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, Prudentiæ, Justitiæ, &c. Atque ita pro comperto habemus dari virtutes morales supernaturales infusas, de quibus perinde ac de Theologicis intelligi debeat præmissa definitio Concilii Tridentini.

246. Tum verò definitio hæc sic intellecta optimè cohæret menti Patrum, qui Concilio Viennensi supra citato interfuerunt & præelegerunt opinionem, quæ asserebat tam patvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes. Sed præsertim egregiè quadrat cum sententia illa Apostolica. *Qui ergo tribuit vobis spiritum, id est spiritum gratiæ habitualis, operatur virtutes in vobis.* Ac nè tandem locus ullus detur alicui subterfugio, nunquid novimus ex D. Paulo charitatem, quæ haud dubiè infunditur animæ justificatæ, esse patientem, esse benignam, non æmulari, non agere perperam, &c? Ubi advertis virtutes morales, quas Charitas secum involvit; sed & Fides involvit suas, & Spes suas simi-

Iliter. Unde evidentissimè constat dari in anima per gratiam habitualem sanctificata virtutes morales , si minùs omnes , saltem plurimas supernaturales infusas : immò longè verisimiliùs omnès , quia si vel una deesset quisquis éà ceteret , non esset perfecte justus : bonum quippe ex integra causa , ut vulgo dicitur ; malum ex quolibet defectu. At hujusmodi virtutes gratiæ habitualis comites , esse totidem entitatis supernaturaliter productas & animæ coacervatim insertas , hoc est quod pernego ob rationes sequentes.

Et primò quidem prædictæ virtutes non alio fine infunduntur , quām ad perficiendam ac , ut ita loquar , integrandam sanctificationem passivam animæ : hæc autem sanctificatio quid est , nisi motio quædam passiva intellectualis ? Aliunde autem non potest motio passiva intellectualis correspondere terminativè , nisi motioni cuidam activæ intellectualivæ , cujus prorsùs incapaces essent entitates illæ , quas Adversarii admittunt productas & vocant *virtutes* : nam nunquid omnis intellectualitatis expertes sunt , ideoque tam ineptæ ad animam utcunque intellectualandam , quām ineptus esset Sol ad illuminandos oculos corporeos , si corporei luminis nihil , si nihil corporeæ illuminativæ actionis haberet ? Igitur virtutes , quæ ad animæ sanctificationem integrandam concurtrunt , non sunt entitates taliter productæ , ac taliter insertæ ,

ut vulgò fingitur. Vel maximè quia si ad animam ex integro sanctificandam concurrent, concurrunt simul ad eam Deo assimilandam, & eidem affiliandam, & ejusdem instituendam hæredem, &c. Quomodo autem id præstabunt hujusmodi entitates, quibus nihil inest talis assimilationis, talis affiliationis, talis juris ad hæreditatem Divinam, &c.? Hinc facile conjicis rationes omnes ac singulas, quibus antehac pugnatum est adversus entitatem, quam vocant gratiam habitualem, & ostensum eam improductibilem esse, aut in casu quo produceretur, superfluum & impotentem ad effectum animæ sanctificandæ, pugnare xquè valide & invicte adversus entitates istas, quas vocant *virtutes*: quare rogo Te Lector ut prædictas rationes recolas, ac per Te ipsum applices isti materiæ, de quâ nunc agitur.

248. Deinde ac secundò si virtutes, de quibus sermo est, essent totidem entitates productæ in anima sanctificata, eidemque insertæ & inhærentes, ut vulgò creditur, quid amabo videretur esse anima sanctificata, nisi congeries quædam innumerabilium entitatum? Nam quis numerare hujusmodi virtutes possit? quarum eti haec tenus divisiones ac subdivisiones plurimas Theologi Morales tradiderint, non omnes tamen haud dubiè exhauserunt; sed adhuc multò plures possent tradere, si studiosius & operosius illis disquirendis ac enumerandis incumberent. Præter-

quamquod ea est virtutum connexio , ut nulla sit quæ cæteras omnes , aut certè cæteratum plurimas non includat : ita quod sicut ex Apostolo Charitas patiens est , benigna est , non æmulatur , &c. nunquid fides patiens est , benigna est , non æmulatur , &c ? Imo nunquid etiam Spes patiens est , benigna est , non æmulatur , &c ? Ac similiter patientia , quam Charitas includit , nonne benigna est ac sine æmulatione , &c ? Et ista benignitas , quam Charitas secum infert , nonne est patiens & expers æmulationis , &c ? Quæ omnia pariter verificantur de omni virtute assignabili. Unde jam sic discurro. Si Charitas animæ sanctificatæ est entitas eidem animæ inserta , Patientia charitatis sanctificantis erit etiam entitas Charitati inserta ; ac tum si Patientia Charitatis benigna est , erit hæc Benignitas entitas quædam tali patientiæ inserta : & sic de cæteris. Hinc vide non solùm quot entitates insererentur animæ ; sed etiam quot entitates insererentur virtutibus singulis. Quæ entitatum tam numerosa insertio valdè mihi quidem est incredibilis. Aut si concipis posse Charitatem , de qua loquitur Apostolus , esse patientem absque entitate Charitati ipsi inserta ; & benignam similiter absque insertione ullius entitatis , &c. cur non concipis posse animam esse dilectionem , esse patientem , esse benignam , &c. absque entitatibus ullis talibus insertis ? Atque ita

virtutes supernaturales infusæ non sunt entitatis , quales vulgo putantur produci in anima , & inseri ac inhærente illi coacervatim.

- 249.** Tandem & tertio non malè sentietur de virtutibus supernaturalibus infusis quoad id quod est eas esse , aut non esse entitates productas ; si de illis sentiatur , ut sentiendum est de aliis , quæ vel natura infundit , vel labor acquirit : namque si istæ explicari possunt absque entitatibus productis , eur non illæ ? Tum verò si de virtutibus , quas natura infundit , agitur , certum est eas nihil aliud esse , quam habitudines ad hoc aut illud bonum morale indistinctas à subiecto , cuius sunt habitudines : alioquin anima , quæ dicitur naturaliter bona propter tales habitudines , esset entitatib[us] composita ; videlicet composita ex sua entitate , & aliis multis entitatibus suæ superadditis , in quibus habitudines supradictæ consisterent. Ob quam rationem multò certius quoque est potentias ejusdem animæ naturales non esse entitates productas & ab illa distinctas , ne scilicet superficie locus ullus suspicandi physicam compositionem in re physicè spirituali : sicut autem se habent potentiae ad naturam , sic se habent virtutes ad potentiam quoad id , quod est superaddere aut non superaddere entitates productas. Sed si agitur de virtutibus , quas labor acquirit , adhuc clarius conf-

tar non posse istas ad instar entitatum produci , quia non acquiruntur nisi successive : nec successive produci possunt entitates , quæ , si quæ sunt , incompositæ sunt. Aut si nihilominus voluerit quis eas esse compositas , quid nisi auger , idque turpiter ac sine causa , compositionem animæ entitativam ? quatenus admensus sic competentur in entitate , quæ erit aut hæc aut illa virtus acquisita , tot entitates illam integrantes , quot sunt actus per quorum repetitionem acquiritur. Unde insuper quia potest eadem virtus v. g. patientiæ aut humilitatis esse tum naturaliter , tum supernaturaliter infusa , tum per repetitionem actuum utriusque ordinis acquisita ; hinc vides culibet virtuti in hoc casu correspondens quatuor genera entitatum : quo pacto numerus entitatum animæ tum naturaliter , tum supernaturaliter virtuosæ insertarum sic excresceret , ut facile coquaretur cum multitudine granulorum , quæ molem arenæ magnam coagentant. Quod si ita est , potest ne unquam satis graviter invehî pro tuenda simplicitate entitativa animæ ex toto spiritualis adversus tot ac talia genimina entitatum ?

Nisi insuper quod fac produci , inseri & 250.
coacervari in anima hujuscemodi entitates quotquot volueris , & eas voca ut ut volueris *virtutes*; nec unquam per eas obtinebis tales affectus , in quibus veræ virtutes verè consistunt. Omnis enim

virtus tam naturaliter indita , quam su-
pernaturaliter obtenta est affectio quæ-
dam animæ ; atque ita est aliquid animæ .
At entitates , de quibus sermo est , sunt
è contra nihil animæ . Quomodo igitur
sunt virtutes animæ ? Quod adhuc forte
melius intelliges hac paritate . Quia enim
scientia consistit in cognitione , aut ,
quod idem est , in impressione scientifi-
ca , per quam anima inclinatur ad verum ,
sicut per impressionem virtuosam incli-
natur ad bonum ; cogita entitatem qua-
lem volueris , & voa ut volueris scien-
tiam , tum suppone illam produci in ani-
ma , & eidem animæ inhærete per quam-
cunque conjunctissimam inhæsionem , an
ea propter entitas illa erit scientia ani-
mæ ? Minime , quia scientia , ut dixi , est
cognitio quædam animæ ; talis autem en-
titas nullatenus esset cognitio animæ , ut
est evidens . Vel maximè quia posset ani-
ma annihilari , in quo casu nulla esset
ejus cognitio ; & nihilominus posset con-
servari entitas illa , si revera esset entitas
quædam producta : nam quid vetat con-
servare Deum quādiū voluerit , entita-
rem , quam semel verè producerit ? Igi-
tur sicut affectiones intellectuales ad ve-
rum , quæ sunt virtutes intellectuales si-
ve scientiæ animæ , non sunt entitates
quales vulgo creduntur productæ & in-
harentes ; ita nec in entitatibus ullis
hujusmodi consistunt affectiones intelle-
ctuales ad bonum , quæ sunt virtutes mo-
tales

tales animæ, aut naturales aut supernaturales prout actiones ipsarum impressivæ sunt ordinis vel supernaturalis vel naturalis.

Neque h̄ic ex dictis supra ac sparsim 251. plurimis circa quidditatē physicam virtutum, de quibus agitur, repetam nisi definitionem hanc Augustinianam, juxta quam Charitas (vide supra n. 159.) nihil nisi animi nostri rectissima affectio est, quæ conjungit nos Deo, quā Deum diligimus. Unde simul patet cæterarum omnium virtutum accuratissima definitio, ita quod fides sit pariter animi nostri rectissima affectio, quā in Deum credimus: & Spes talis affectio quā in Deum speramus: &c. Sic igitur virtutes ex D. Augustino nihil sunt nisi affectiones, ejus videlicet ordinis supernaturalis, vel naturalis cuius sunt actiones impressivæ ipsarum. Non ergo sunt tales entitates, quales vulgo finguntur; quatenus tales entitates non modò non sunt affectiones prædictæ, sed neque esse possunt prædictarum affectionum impressivæ: istæ quippe affectiones sunt intellectuationes quædam passivæ, quæ causati in anima minime possunt, nisi per correspondentes intellectuationes activas, quarum protinus incapaces sunt entitates, quibus nec Adversarii ipsi intellectualitatem ullam affingunt. Ubi præterea advertis virtutibus ac præsertim supernaturalibus id proprium esse, ut conjungant nos Deo; quia videlicet omne agens cum suo sub-

jecto per suam actionem conjungitur , ut è contra omne subjectum cum suo agente conjungitur per suam passionem : unde si virtutes nihil sunt nisi certæ quædam passiones adquas actiones Divinæ terminantur , quid evidentius quam conjungi nos cum Deo per virtutes , idque magis aut minus intime , prout magis aut minus intimæ sunt actiones , quæ Divinitus nos afficiunt ? At quomodo fieret hæc conjunctio per entitates illas , quas vocant virtutes ? Nam hoc ipso quod intervenirent pro conjungenda anima cum Deo , hoc ipso potius illam disjungerebant : quatenus illæ quidem essent conjunctæ hinc cum Deo , illinc cum anima ; sed Deus non esset revera animæ conjunctus , neque vicissim anima esset Deo conjuncta propter intermediationem hujuscemodi entitatum . Præterquam quod omnino absconum est pro conjungendis rebus spiritualibus fingere perinde ac pro corporeis vincula ulla , quæ hinc & inde cohærent ; vel maxime quia pro illis debite conjungendis sufficiunt soli affectus reciprocí , & istorum affectuum reciprocantium impressiones perseverantes . Neque plura addo , quia satis hactenus convictum fuit virtutes , quas vera sanctitas per gratiam habitualem causata secum importat , non esse entitates accidentales Aristotelicas , quales vulgo creditur in anima produci , eidemque inseri ac inhære

¶¶¶¶¶⁽⁸⁾¶¶¶¶¶

D E G R A T I I S gratis datis.

GRATIAS tum *actuales* tum habi-^{251.}
tuales, de quibus antehac agebatur,
& per quas Deus animam aut sanctifi-
cat aut sanctificandam præparat, vocant
Theologi *gratum facientes*, ad discriminem
ab aliis deinceps physicè exponendis,
quas nominant *gratis ditas*: non quod
omnis gratia non sit gratis data; gratia
enim dicitur, quia gratis datur: aut
quod omnis gratia non gratificet animam,
cui datur; gratia enim rursus dicitur,
quia gratus reddit. Sed quia priores
reddunt animam Deo grata simliciter,
ob ejusdem animæ sanctitatem propriam
causatam vel causandam, ad quam ex
concessionis suæ naturâ ordinantur;
postiores vero non reddunt animam
Deo gratam nisi secundum quid; quia
minus ad propriam ipsas recipientium,
quam ad aliorum sanctitatem providen-
dam ut plurimum indulgentur, & malis
perinde ac bonis sœpissime conceduntur.
Hoc totum facile intelliges à pari ex
discrimine quod inter virtutes morales
& intellectuales admittitur à Theologis:
illæ, inquit, reddunt habentem *bo-*

num simpliciter , istæ verò reddunt habentem tantummodo bonum secundum quid. Hinc homo dexter dicitur bonus secundum quid ; sed homo temperans dicitur bonus simpliciter : idque , ut puto , propter connexionem virtutum moralium , quarum quælibet , si perfecta est , secum importat cæteras. At virtutes intellectuales neque secum invicem , neque cum moralibus sic connectuntur , neque tandem perinde ac morales attinent ad gratiam sanctificantem , cuius est hominem efficere perfectè bonum. Ubi vellem aderti qualiter gratiæ receptæ & virtutes solo respectu differant : nam affectio temperantiæ v. g. est virtus , secundum quod est affectio virtuosa ; & est gratia recepta , secundum quod est gratis & supernaturaliter accepta. Quapropter verificatur omnem actionem Divinam gratificativam terminari ex parte animæ ad aliquam ipsius passivam impressionem habitualem aut actualēm , quæ secundum varios respectus est gratia recepta , & virtus , & donum , & beatitudo , &c.

253. Deinde audiendus est Apostolus sic enumerans gratias istas , quas Theologi vocant gratis datas. Unicuique autem ,
 1. ad inquit , datur manifestatio spiritus ad utili-
 cor. tatem. Alii quidem per spiritum datur sermo
 12. sapientiae : alii autem sermo scientiæ secun-
 dium eundem spiritum : alteri fides in eodem
 spiritu : alii gratia sanitatum in uno spiritu;

alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarū: alii interpretatio sermonum. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Ubi statim adverto qualiter gratiæ præenumeratae tantum consistant in gratuita quadam Spiritus Divini manifestatione mentibus nostris indulta ad utilitatem salutis & nostræ & alienæ; imo magis alienæ, videlicet ad utilitatem Ecclesiæ ædificandæ, multiplicandæ, protegendæ, &c. aut, quod idem est, ad utilitatem Proximi instruendi, commonendi, arguendi, confirmandi in fide, &c. Quod autem ait Apostolus, *Datur unicuique, &c.* id non de unoquoque absolute accipitur, sed de unoquoque Divinitus vocato & selecto ad aliorum præsertim salutem promovendam. Dico præsertim, ne putas hujusmodi gratias esse inutiles ad propriam salutem ejus, qui Divinitus illas accipit: et si saepè accidat, ut quis per eas, neglectâ suâ ipsius salute, saluti aliorum invigilet & feliciter proficit. Hinc Apostolus, qui hæc & meliora adhuc charissima noverat se accepisse, nihilominus timebat, ne qui aliis prædicasset, ipse reprobis efficeretur. Deinde etiam adverto fidem, quæ inter gratias gratis datas enumera-tur, non esse accipiendam pro fide illa, quæ est virtus Theologica, & de qua legitur *justus autem meus ex fide vivit;* sed pro singulati peritia ac solertia Di-

vinitus inspirata ad promulgationem fidei Evangelicæ. Et hoc quidem adverto cum omnibus Theologis atque Interpretibus sacris, ut subinferam illicè sapientiam, scientiam, prophetiam, discretionem spirituum, varietatem linguarum, & interpretationem sermonum nihil esse pariter, nisi manifestationes quasdam intellectuales, per quas anima Divinitus instruitur in rebus suæ & alienæ salutis præparandæ ac promovendæ, juxta id quod legitur in epistola prima D. Petri. *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

254. Quid autem spectat ad gratiam sanitatum & ad operationem virtutum, non perinde constat qualiter gratuitæ istæ concessiones consistant in notitiis intellectualibus supernaturaliter acceptis; sed nihilominus satis constat qualiter eas secum necessitudinē inferant, siquidem necessarias ad oportunam tantæ potestatis administrationem, quā discernatur pro quibus, quando & qualiter expediatur fieri miracula aut hæc, aut illa. De cætero non disquiram enucleatius singularia constitutiva ac distinctiva cuiuslibet gratiæ gratis datæ: nec discutiam sitne adequata aut inadæquata in rigore scholastico præenumeratorum charismatum divisione ab Apostolo tradita; hæc enim & similia non sunt mei instituti, cujus tantummodo est paucis ostendere gratias

istas gratis datas non esse entitatas ullas productas & inhærentes , sicuti de cæteris gratum facientibus , iisque tam habitualibus quam actualibus toto hoc opere probatum fuit ; sed esse tantum selectas quasdam impressiones intellectuales supernaturaliter acceptas , per quas elevatur anima ad statum quemadmodum supernaturalem sciendi & faciendi multa , quæ sic expedit sciri & fieri pro salute propria vel aliena .

Et ne quid repetam ex prædictis , quæ 255 . si attenduntur notionem omnem cuiusvis entitatis accidentalis productæ & inhærentis non minus removent ab istis gratiis , quam ab aliis , de quibus ex professo agebatur , nolo nisi breviter expendere mentem Apostoli dicentis . *Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Nam quid est manifestatio spiritus , nisi manifestatio quædam spiritualis , id est intellectualis supernaturalis quædam notitia , quam Spiritus Sanctus prævenit mentem ac voluntatem illius , quem suis scriptis , colloquiis , præmonitionibus , miraculis , &c. vult esse utilem fidei promovendæ , & providendæ plurimorum saluti ? Unde subditur . *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae , id est per spiritum sic manifestatum : Alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum , id est rursus secundum eundem spiritum sic manifestatum : atque ita de cæteris . Ac tandem sic concluditur . Hæc autem*

omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vuli. Quod idem est ac si dictum fuisset singulares predicas manifestationes, quas Apostolus vocat sapientiam, scientiam, fidem, &c. fieri per singulares operationes unius ejusdemque spiritus Sancti manifestantis seu revealantis, prout voluerit, singulis aut haec aut illa, quae manifestari seu revelari sic expediat ad utilitatem predictam. Ubi nisi quis falsò praesumpserit non posse Spiritum Sanctum manifestare se, aut manifestare quidquid voluerit, absque interventu entitatum productarū & insertarum, non video qualiter gratiae gratis datæ, quae evidenter consistunt in predictis manifestationibus, esse possint hujuscemodi entitates. Imo nec video qualiter possent esse hujuscemodi entitates, etiamsi penderent ab interventu illarum; quia si penderent ab illis presupponerent illas; & sic non consisterent in illis, ut est evidens.

256. Præterea si rursus attenditur ad verba Apostolica, quae precedunt enumerationem predicarum gratiarum, evidenter adhuc patebit eas non tam esse notitias habituales, quam actuales hic & nunc à Spiritu Sancto immissas atque impressas: & sic multò minus ex hoc capite esse accipiendas pro entitatibus productis ac inherentibus. Ecce verba Apostoli. Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiritus:

& divisiones ministracionum sunt, idem autem dominus: & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Ac deinde. Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem, &c. Quibus verbis videtur Apostolus enumeraturus deinceps gratias gratis datas, præmonere qualiter hujusmodi gratiæ sunt ministrations & operationes, quas idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus operatur in nobis, videlicet inspirando nobis notitias supernaturales sapientiæ, scientiæ, fidei, &c. ad administrandum & operandum quidquid voluerit, & per inspirationes suas effecerit, ut administremus & operemur. In quo toto supernaturalium notitiarum nobis immissarum commercio nihil deprehenditur, quod faveat entitatibus illis productis & insertis, sine quarum interventu putaret aliquis non posse gratias gratis datas exponi. De cætero neque putas interventum illarum esse saltem necessarium, quando gratiæ gratis datæ, quod contingere potest, non sunt positæ solùm in actu, sed in habitu: quia potest Deus absque illis notitias supernaturales habituales perinde ac actuales imprimente: imo nec imprimere potest per illas, ut abunde ac sæpe probatum est.

ની ની ની ની ની ની () ની ની ની ની ની

DE DONIS SPIRITUS Sancti.


257. COMMUNIS Theologorum sententia est præter virtutes, quæ simul cum gratia habituali infunduntur, infundi quoque ea septem Spiritus Sancti dona de quibus legitur Isaïæ c. 11. Et requiescat super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Et hanc quidem sententiam præsertim fundat authoritas Concilii Tridentini definientis sess. 6. cap. 7. justificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Ac tandem hæc dona infundi non tanquam actus; sed tanquam habitus, qui maneant & efficiant perseveranter animam justificatam colligunt maxime ex illis verbis Joan. 14. *Vos autem cognoscetis eum (spiritum veritatis) quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

258. Nunc autem quia non est instituti mei nisi ostendere dona illa non esse tales entitates, quales cogitari solent

productæ & implantatæ in anima justificata, dico alienum ab illorum verâ notione esse, quidquid pro illis generatim aut speciatim exponendis cogitabitur præter certas notitias intellectuales seu actuales, seu habituales, si sic malueris, desuper impressas animæ. Et ratio evidens est, quia quidquid aliud cogitabitur neque erit sapientia, neque intellectus, neque consilium, &c. Quis enim entitatem quæ nihil intellectualitatis habeat, vocabit sapientiam, intellectum, consilium, &c. & non potius reputabit istas perfectiones animæ, quæ ex privilegio acceptæ desuper justitiae pollet sapientia, intellectu, consilio, &c. esse perfectiones utique intellectuales, sive, quod idem est, illuminations quasdam passivas Divinis quibusdam activis illuminationibus correspondentes?

Ubi præterea, si bene rem advertis,²⁵⁹ nunquid convinceris dona, de quibus agitur, non esse nisi virtutes aut intellectuales aut morales, aut de utrisque participantes, et si specialiter supernaturaliter animam afficientes? Quapropter non est de illis quoad entitatem ipsarum physicam discurrendum aliter quam de cæteris virtutibus infusis, quas suprà ostensum est non esse entitates productas & insertas animæ, ut vulgo creditur. Dixi et si specialiter supernaturaliter animam affidentes, quia revera ex hoc quod

hæc dona singulariter nuncupentur dona Spiritus Sancti , (alias enim commune est omnibus supernaturalibus beneficiis acceptis esse dona Spiritus Sancti) secum involunt specialiter supernaturalem ac supernaturaliter specialem Spiritus Sancti influxum. Unde accidit eos , qui talibus donis præventi sunt , alactiores esse & promptiores ad finendum se agi à Sancto Spiritu , & sic esse potiori quodam ac valde illustriori titulo filios Dei , sicut scriptum est. *Qui Spiritu Dei aguntur , ii sunt filii Dei.* Quæ quidem pauca cum antecedentibus juncta sufficiunt , ut suadeatur dona Spiritus Sancti præenumerata , quibus anima justificata ditatur , non esse entitates productas & inhærentes , quales Scholaſtici paſſim cogitant. Tantum addo gravem ac plane Philosophico-Theologicam sententiam S. Gregorii Nazianzeni interpretantis verba illa prophetica , *Et requiescat super eum Spiritus Domini , &c. Septem , inquit , pretiosos Spiritus , operaciones , id est impressas animæ , ut opizor Spiritus Sancti , Spiritum appellare solet Isaias.*



DE BEATI-

DE BEATITU- dibus

BEATITUDINES vocant Theo-²⁶⁰.
logi certos quosdam seu actus , seu
habitus excelentiores supernaturales , quos
qui obtinuerint , ii ab ipsomet Christo
vocantur beati : sicuti legitur Matthæi 5.
Beati pauperes Spiritu Beati mites
*Beati qui lugent Beati qui esuriunt
& sitiunt iustitiam , Beati misericor-
des , Beati mundo corde , Beati
pacifici , Beati qui persecutionem pa-
tiuntur propter iustitiam . Dixi seu actus ,
seu habitus : quia licet communiter Theo-
logi doceant Beatitudines non distingui
à Virtutibus & Donis , nisi qualiter actus
ab habitibus distinguuntur , & hac vi
affirment Beatitudines non esse nisi actus
aut Donorum aut selectarum Virtutum ,
quibus tribuunt esse habitus ; nihilomi-
nus valde convenientius statuerent illas
consistere in habitibus peræquè infusis ,
seu in impressionibus habitualibus singu-
laribus quodam titulo virtuosis , quæ me-
reantur vocari Beatitudines propter bea-
titudinem seu temporalem , seu æternam ,
quâ ex promissione ac munificentia Di-
vina condigni sunt , quicunque illas vo-*

luntariè suscipiunt & exercent. Id , inquam , valde convenientius statueretur. Primo quia si ex prædictis Beatitudinibus aliquæ profetuntur ad instar actuum , uti istæ , Beati qui lugent ; beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam ; beati qui persecutio-nem patiuntur propter iustitiam ; nunquid aliæ , quin & plures , proferuntur ad instar habituum , uti cæteræ . Beati pauperes spiritu ; beati mites ; beati misericordes ; beati mundo corde ; beati pacifici . Secundo quia summi pretii sunt præmia , quæ pro-mittuntur à Christo nominatim iis , qui prædictas Beatitudines exercuerint : vi-detur autem Beatitudines istas tantiis præ-miis esse condigniores , si secum attule-rint actuum virtuosorum repetitionem ex affectibus habitualibus prodeuntem . Ac tandem Tertiò quia nihil obstat quo-minus simul cum gratia habituali ad instar habituum infundantur istæ virtutes , quæ ob singularem excellentiam Beatitudines vocantur , perinde ac cæteræ , quæ non vocantur Beatitudines : imò illas potius quam cæteras expedit sic in-fundi , ut modo quodam excellentiori habituali gratiam commitentur .

261. Verum quidquid interim sit hac de re , pro qua minus contendam , venio ad dif-ficultatem , quæ mihi in primis solvenda est : & dico prædictas Beatitudines sive pro actibus , sive pro habitibus virtuosis quibusdam excellentioribus acceptas , non esse entitates productas & insertas

animæ justificatæ : quia talibus affectibus
sive actualibus sive habitualibus desuper
infusis equidem conveniret esse merito-
rios æternæ , aut etiam temporalis ad
æternam ordinatæ beatitudinis ; at mini-
mè id conveniret entitatibus illis , quæ
producī in anima , eidemque itseri & in-
hærere supponerentur. Quare ex hoc uno
capite convenientius est prædictis affe-
ctibus , quām hujuscemodi entitatibus
aptare veras notiones istarum beatitudi-
num , de quibus legitur. *Beati pauperes*
Spiritu , quoniam ipsorum est regnum cœlo-
rum , &c. Et revera quis non statim in-
telligit non promitti regnum cœlorum
nisi iis , non qui entitatem , quam imme-
ritò libuerit vocare paupertatem spiri-
tus , habuerint ; sed qui affectionem illam
habuerint , quæ meritò vocatur *paupertas*
spiritus : atque ita de aliis. Vel præsertim
quia hæc affectio , ex hoc quod affectio est ,
voluntaria est , & voluntariè suscepta : enti-
tas verò illa nihil voluntarium aut volun-
tarie susceptum in portat. Igitur non pro-
pter hujuscemodi entitatem , sed propter
prædictam affectionem merebitur quis æ-
ternari beatitudinem : atque ita si ex ti-
tulo beatitudinis ipsi promissæ paupertas
spiritus dicenda est *Beatitudo* ; utique se-
quitur Beatitudinem hanc non esse enti-
tatem productam omnis virtuosæ affe-
ctionis expertem ; sed esse virtuosam ip-
sam affectionem , quæ est & vocatur *pau-*
pertas *Spiritus* ; & sic de aliis. De cætero

ad excludendam à vera notione prædictarum Beatitudinum entitatem omnem productam inhæsivam peræquè urgent omnia & omnis generis ratiocinia , quæ ad excludendam illam à vera notione cuiusvis gratiæ , virtutis ac doni hucusque adducta sunt. Quare non immoror.



DE FRUCTIBUS
Spiritus Sancti.

ENUMERAT Apostolus ad Gal. 5. 26. fructus Spiritus Sancti in hunc modum. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Et hi quidem fructus, ut vides, sunt duodecim, quos Theologi communiter affirmant non esse nisi actus virtuosos supernaturales, qui propterea quoddam singulare quodam instinctu atque impulsu Spiritus Sancti prodeant, sunt & vocantur *fructus Spiritus Sancti*. Sed nunquid etiam sunt ac vocati possunt fructus animæ nostræ, videlicet spectatæ sub idea arboris Spiritualis frugiferæ, quam *Spiritus Sanctus* speciali quodam suo influxu vivificat & fœcundat? Tum vero affirmant Theologi præenumeratos fructus Spiritus Sancti non esse positos nisi in actibus virtuosis, primo quia idem Apostolus ibidem contraponit fructus istos manifestis carnis operibus, quæ præenumeraverat & sunt. *Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, &c.* atque ita contraponit, inquiunt.


opera operibus, spiritualia nempe carnalibus, ut sic magis explicet, quod ante dixerat, qualiter concupiscat caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Et secundò quia ex eodem Apostolo ad Rom. 7.
Fruitificare Deo & fruitificare morti nihil est nisi bene aut male operari; idque cohærenter ad infallibilem hanc Christi commonitionem à fructibus eorum cognoscetis eos, scilicet ab ipsorum operibus bonis aut malis. De cætero certum est virtutes pro actibus virtutum solere sæpe accipi in sacris paginis, unde inferatur posse hic accipi charitatem, gaudium, pacem, &c. licet propriis specialium virtutum nominibus designentur, pro actibus talium virtutum. Quare hac in re nihil contradico, nisi quod mihi videtur nihil repugnare quo minus fructus Spiritus Sancti accipientur, si quis ita maluerit, pro habitibus virtuosis. Nam si certa quedam bona opera merito vocantur fructus Spiritus Sancti, aut, quod idem est, animæ per Spiritum Sanctum inhabitantem vivificatæ; cur etiam certi quidam habitus talium operum non vocabuntur fructus & ejusdem Spiritus Sancti, & ejusdem animæ? Vel præsertim quia omnes habitus virtuosi, etiam infusi, si vere virtuosi sunt, voluntarii sunt, ex hoc quod sint voluntarie suscepti; & sic sunt fructus animæ desuper fœcundatæ. Neque enim singendum est virtutes infusas, licet sicut in nobis sine nobis, manere in nobis,

sine nobis , nempe sine nobis illas voluntariè admittentibus : alioquin nullatenus essent nostræ , & nullatenus ad justificationem nostram prodeßent . Et hoc quidem evidenter infertur ex Concilio Tridentino definiente justificationem nostram fieri per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum : adde & virtutum , quæ simul cum donis infunduntur , ut in eodem Concilio pariter definitur . Vide supra n. 245.

Deinde vero quia absque eo quod decidatur an prædicti fructus consistant in actibus vel habitibus virtuosis , æque decidi potest sint aut non sint hujusmodi fructus entitates productæ & insertæ ac inherentes animæ justificatæ , relinquo priorem difficultatem , & hæreo in posteriore , quæ mei instituti est . Itaque dico alienum omnino esse à vera & quiditativa notione præenumeratorum fructuum , quidquid excogitari posset præter affectionem aliquam actualem aut habitualem virtuosam , quæ à supernaturali singulari influxu Spiritus Sancti pendeat : nam omne aliud excogitabile esset quid involuntarium ; ac proinde non esset fructus Spiritus Sancti id ipsum operantis in anima . Quod ut clare concipias , cogita entitatem in anima productam , qualém passim cogitare solent Theologi Aristotelici & admittere pro exponenda quiditate cuiusvis gratiæ , aut virtutis , aut doni , aut beatitudinis ; & illicò depre-

hendes entitatem illam nec quicquam voluntariæ affectionis habere , nec esse ipsam voluntariam affectionem , ideoque nec esse affectionem virtuosam ; omnis quippe affectio virtuosa , est voluntaria : & sic est quædam actio aut passio voluntatis : at entitas , de qua certatur , neque est ulla actio , neque ulla passio voluntatis , ut satis patet . Unde quamvis prædicta entitas supponeretur produci à Spiritu Sancto , esset equidem juxta istam hypothesism opus Spiritus sancti ; sed nihilominus non esset fructus Spiritus sancti : quatenus per fructum Spiritus Sancti intelligitur non quocunque opus illius ; sed opus illius operatum in nobis , aut , quod idem est , opus nostrum operatum ab illo : tale autem opus est affectio virtuosa , quæ & nostra est & illius est ; secundum quod nos sumus , qui sic virtuose afficimur , & ille est , qui sic virtuose nos afficit . Tandem jam abunde constat qualiter pro exponendis istis effectibus ac simul affectibus supernaturalibus virtuosis , quibus peculiariter tribuitur esse & vocari fructus Spiritus Sancti , neque recurri debeat , neque possit ad entitates productas iis similes , quæ toto hoc opere impugnantur .





DE CHARACTE- ribus sacramentalibus.

ULTIMO supereft ut dicam aliquid^{264.} de characteribus, quos fides docet imprimi animæ per hæc tria sacramenta Baptismi, Confirmationis & Ordinis; & imprimi quidem indelebiliter: quæ causa est ob quam prædicta sacramenta iterati prohibeatur. Itaque si Theologos Aristotelicos audis de characteribus istis tractantes, non dubitabis illicò quin sint entitates sive qualitates intra animam Divinitùs productæ, & ideo reducendæ ad genus prædicamentale Aristotelicum qualitatis; sed dubitabis tantum & investigabis, ut ipsi solent, ad quam speciem hujus generis reducantur, & ad quod membrum hujus aut illius speciei: singularè enim species Qualitatis apud Aristotelem sunt bimembres. Atque hinc exoriuntur variæ concertationes scholasticæ pro characteribus sacramentalibus reducendis aut ad speciem habitus, aut ad speciem potentiarum, aut ad speciem passionis, &c.

Verum ne in istis concertationibus^{265.} frustra immorer, attendo tantum ad opinionem, quæ in scholis prævaleret. Hæc autem statuit characterem sacramentalem esse potentiam aliquam spiritualem ordinatam ad ea quæ sunt Divini cultus juxta ritum Christianæ Religionis: & ea-

propter illum reducit ad secundam spe-
ciam qualitatis , videlicet ad primum hu-
jus secundæ speciei membrum , quod
est *potentia*. Hujusmodi autem potentia
ad ea , quæ sunt Divini ac Christiani cul-
tus , ordinata vel est passiva , vel est ac-
tiva secundum quod homo per acceptum
aliquem sacramentalem characterem de-
putatur ad posse tantum recipere , vel
ad posse insuper conferre quædam Di-
vina. Hinc characterem baptismi dicunt
esse potentiam spiritualem passivam , per
quam homo habet posse recipere cætera
sacramenta : at characterem tum confir-
mationis , tum Ordinis dicunt esse po-
tentiam spiritualem activam , per quam
homo habet tum posse Christianam Reli-
gionem tueri , tum ejusdem Religionis sa-
cramenta confidere & conferre. Unde præ-
terea affirmant characteres sacramentales
non in substantia animæ , sed in potentiis
animæ subjectari : et maxime quia impres-
sio illorum sit secundum rationem imagi-
nis , per quam Deo ac Christo assimilamur :
hæc autem assimilatio ad animæ potentias
convenientius spectat. Quæ & similia
multa si prolixius enarrarem , transgre-
derer metas mei propositi ; quare lector
hisce de rebus Theologos suos consulat :
ego vero in hoc uno calamum meum con-
tinebo ut probem generatim characteres
sacramentales non esse entitates acci-
dентales , sive qualitates prædicamenta-
les productas , quales cogitari & propug-
nari solent.

Neque difficilè id probabitur , quia²⁶⁶ facile est ut afferam plures consignationes spirituales , quæ in anima à Deo fiunt independenter ab ulla hujusmodi entitatibus productis : unde *merito inferetur fieri pariter sine ulla ab illis dependentia consignationes sacramentales , de quibus agitur.* Et *primo quidem nonne quælibet anima est specificè & individualiter consignata?* alioquin animæ nec à rebus cæteris different nec abs se invicem . *secundò nonne rursus anima est consignata ad imaginem & similitudinem Dei?* nonne super ipsam signatum est lumen vultus Divini ? Ac tandem *tertiò nonne multò Divinius consignatur , quoties ex naturali quodam Divinitatis confortio transit ad supernaturale integrum ejusdem Divinitatis consortium per acceptam gratiam , quâ justificatur , quâ affiliatur Deo , & evadit Dei domestica , & hæres instituit regni cælestis , &c.* In quibus & consimilibus aliis consignationibus animæ impressis nullæ occurunt entitates , quæ producantur & intra animam inserantur ; quia nempe non eget Deus nisi se ipso ad consignandum in anima quemcunque hujus aut illius perfectionis characterem voluerit , sicuti non eget anima nisi se ipsa ut sic , vel sic consignetur. Et sane si licet transferre paritatem à rebus corporeis ad incorporeas , habes in cera consignationem à sigillo factam , quæ nec sigillo , nec ceræ , nisi hinc actionem , hinc passionem respective indistinctam

superaddit : minime vero entitatem ullam productam , quæ comperiri de novo possit aut in cera , aut in sigillo . Hinc itaque , ut dicebam , meritò inferetur characteres sacramentales , qui nihil aliud sunt quam certæ quædam consignationes impressæ , per quas anima est & agnoscitur deputata ad officia quædam ac ministeria Divina Christiani ritus , non esse entitates productas & insertas eidem animæ . Vélo maxime quia consignationes animæ sunt aliquid animæ consignatæ : at illæ entitates nihil essent animæ consignatæ , quamvis illi insererentur ; sicut una anima , quæ esset penetrative intra aliam , nihil esset illius , quam penetraret .

267. De cætero vellem audire ab Adversariis qualiter ipsi concipiunt posse entitatem qualitercumque productam , ac qualitercumque insertam animæ , esse hujusmodi potentiam sive activam sive passivam , in qua constituunt characterem istum vel illum Sacramentalem . Quia enim ista entitas non esset anima , quamvis esset in anima , non magis pertineret ad illam , quam si non esset in illa : & sic non pertineret ad aliquam perfectionem illius : omnis autem potentia est perfectione aliqua subjecti , cuius est potentia . Igitur talis entitas non esset potentia animæ , sed esset tantummodo entitas intra animam , quam intrinsece nullatenus immutaret ; sicut anima non immutat intrinsece corpus , aut ullam corporis potentiam

tiam quamvis penetrative insira corpori.
Quo pacto si intellectus & voluntas dif-
ferent entitati e ab anima , non pertine-
rent ad potentias animæ : sicuti & attri-
buta Diuina ad Divinitatem non perti-
nerent , si entitatem singularem ullam
haberent ab entitate Divinitatis distinc-
tam. Præterea indelebilis characterum
sacramentoium non bene cohæret cum
doctrina , juxta quam consistunt in enti-
tibus intra animam productis : istæ
enim entitatis non essent ex natura sua
indestructibiles : igitur characteres , quos
constat indestructibiles , aut , quod idem
est , indelebiles esse , non consistunt in
illis entitatibus , quas putant produci &
reduci ad speciem qualitativam potentiae &
sed neque consistunt in aliis , quas alii
reducunt aut ad speciem habitus , aut ad
speciem passionis aut ad speciem figuræ:
quatenus si pariter putantur produci , pari-
ter sunt chimæricæ. Tum verò propter va-
rios & varios respectus prædicamentales ,
quibus characteres sacramentales subjacent
quid vetat illos referre ad varias species
qualitatis : certe hæc relatio est valde
arbitraria , nec video cur tot contro-
versiæ circa illam fuerint excitandæ.

Et hanc quidem appendicem concludo
rogans ultimò lectorem benevolum , ut^{268.}
advertisat quām verius hucusque exposui-
sent Theologi quidquid attinet ad gra-
tias , ad virtutes , ad dona Spiritus Sanc-

ti , &c. si non tenuisset eos philosophica præoccupatio formarum accidentium materialium : hac enim sublatâ nūnquam introduxissent in Theologiam formas accidentales spiritualis ordinis naturalis , ac multò minùs supernaturalis ad exponenda fidei Christianæ mysteria , ac præsertim ista , quæ spectant ad gratias , ad virtutes , ad dona Spiritus Sancti , &c. Videant ipsimet an formas materiales in Philosophia sua satis certò & evidenter probaverint , aut si non ita est , prout revera non ita est , putent incertum adhuc & inevidens esse quidquid proponunt de spiritualibus admittiendis , neminique invideant , si illis valedixerit : vel præsertim quia illis sublati nihil theologicum occurrit , quod non multò clarius , & ad antiquam sanctorum Patrum doctrinam cohaerentius exponatur , ut puto posse ex toto hoc opere sati coniici. De cætero , & hæc sit clausula mei operis , licet formas omnes Aristotelicas habuerim hactenus pro excessis , & omni sacræ ac prophætæ veritati iniuriis , testor esse me eas omnes ac earum singulas studiose reveriturum & publice proclamatutum per vicos ac platzas , ubi primum quis me convicerit eas consonare utcunque vel Divinæ fidei , vel humanæ rationi.
 Et hæc quidem breviter scripsi obsecrans
 & contestans hanc esse veram gratiam Dei. I. pet. 5.

